DE

SCEPTICISMI

CAVSIS ATQVE NATVRA

COMMENTATIO PHILOSOPHICA

QVA

AD

AVDIENDAM ORATIONEM

D. XIX. SEPT. A. A. C. cIↄIↄcccI

H. L. Q. C.

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PROFESSIONIS PHILOSOPHICAE

EXTRAORDINARIAE

ADEVNDAE CAVSA

RECITANDAM

OBSERVANTER INVITAT

CHRISTIANVS WEISS

PHIL. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTR[redacted]

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

DE

SCEPTICAE PHILOSOPHIAE
CAVSIS ATQVE NATVRA.

CAPVT I.
PROOEMIVM.

Quamquam in omni philosophia difficillimum est, veram ac genuinam singulorum, qui de ea scripserunt, virorum sententiam explicare: tamen in eorum, qui Sceptici dicuntur, ratione exponenda gravissimae videntur occurrere difficultates. Cum enim reliquae fere omnes philosophorum scholae principem aliquem virum habeant, ex cuius doctrina quemadmodum sua placita duxerunt, ita ex eadem volunt iudicari: Sceptici auctoritatem humanam iure suo recusantes neque ad Pyrrhonem, si lis oriatur, refugiunt, neque ad Sextum, neque ad recentiorum quemquam; ut, cum in aliis vel solius auctoris scripta examinasse suffi-

ciat, hic singuli audiendi sint, ac rem in dies efficiant operosiorem. Accedit, quod gravius est, inter omnes scholas Scepticam, si non vetustate, attamen perennitate aliisque se opponendi constantia eminere. Platonis enim, divini ingenii, philosophia ubi, quaeso, nunc viget? aut quae est inter nos Aristotelis, diu principis philosophi, auctoritas? quis hodie amat Stoicus dici aut Epicureus? quin Cartesii, Spinozae, Leibnitii, aliorumque doctrinam etsi sunt qui tacite tueantur, in philosophorum tamen consessibus vix ullibi ita vel defensam audias vel impugnatam, ut, qui de ea agat, eius vel patronos vel adversarios exspectare videatur. At longe aliam Scepticorum rationem esse, nemo ignorat. Qui etsi neque numero pollent, neque clamoribus bella movent, tamen, ut primum audacior aliquis res novas in philosophia molitur, adsunt studiosi, eiusque ipsa principia ita impugnant, ut neque fundamenta operis tuto iacere, neque iactis aedificium secure superstruere possit. Atque ex hoc ipso aliud eorum rationem explicaturo incommodum nascitur. Cum enim Scepticus quisque non tam quid ipse probet, exponere soleat, quam, quae aliis aut probabilia visa sint aut certa, refutare: singuli inter se aeque fere differunt, ac ii, in quorum placitis examinandis reiiciendisque versantur. Neque aliter id fieri potest. Non enim, ut reliquae scholae, sua in causa agere videntur, neque ut universe aliquid fiat aut demonstretur, cuius

ipsi auctores sint, velle efficere; sed alienae rei quasi patrocinium suscipientes, ne quid detrimenti res commissa capiat, cavent. Licet igitur plerique in iis consentiant, quae aliis principia dicuntur: tamen iisdem non tamquam armis aut arcibus, sed pro telis tantum utentes, ad ipsam hostium rationem, quidquid aiunt, ita accommodant, ut vix Aristotelis sectatores tantum inter se discrepare potuerint, quantum Humius differt a Pyrrhone aut Aenesidemo.

Quae quo magis ita se habent uti dictum est, eo accuratius curandum, ut in explicanda omnis Scepseos natura recta ratione procedatur. Quod quidem tum effectum iri putamus, cum inprimis, *ad quale genus Sceptica philosophia* pertineat, inquiremus. Etsi enim et Scepticum quemque propriam disciplinae suae descriptionem rerumque ordinem a) habere et universae Scepseos haeresin sive sectam b) constitui posse, certum est: tamen, quod commune est

a) Συϛημα appellatur; quod invito Socrate ab Academicis, (qui Scepticis non omnino dissimiles erant,) exstructum esse ait *Cicero*, Acad. I, 4. extr.

b) Exstat luculentum *Sexti Empirici* testimonium, Pyrrhon. Hypotyp. L. I, cap. 8: ει τις αἱρεσιν ειναι φασκει την λογῳ τινι κατα το φαινομενον ακολουθουσαν αγωγην, . . αἱρεσιν φαμεν εχειν· ακολουθουμεν γαρ τινι λογῳ κατα το φαινομενον. Iisdem fere verbis *Diog. Laert.* prooemii cap. 13: αἱρεσιν δε λεγομεν την λογῳ τινι κατα το φαινομενον δοκουσαν ακολουθειν· καθ' ὁ ευλογως αν αἱρεσιν την σκεπτικην καλοιμεν. — Atque secundum haec explicanda sunt, quae Ill. PLATNERVS habet *Aphorism.* vol. I, notis ad §. 706 et 708; deinde STÄVDLINIVS in libro: *Geschichte und Geist des Scepticismus*, vol. I, p. 8.

singulis, effiicitque ut eumdem sibi demonstrandae της των Δογματικων προπετειας parandaeque της εν τοις κατα δοξαν αταραξιας c) finem ponant, non nisi ex ipsa, quam singuli vario tempore et contra varias Dogmaticorum scholas secuti sunt, *philosophandi ratione*, recte colligi potest. Quamobrem licet hic intactam relinquere quaestionem, quis primus Scepsin vel aperte professus sit, vel tacito assensu probaverit. Neque opus erit, ut plenum omnium, quicunque Scepticorum nomine appellari se voluerunt, catalogum exhibeamus; quamquam, cum suae quisque opinionis optimus sit interpres, eos haud negligemus, quorum scripta insignem cognoscendi iudicandique Sceptici argumenti materiam suppeditare videbuntur.

Caput II.

De philosophiae generibus, Dogmatico atque Sceptico.

Iam cum non Pyrrho Platoni vel Aristoteli, neque Reidio Humius, ut aliis placuit, sed universa Scepticorum institutio iis omnibus opponenda sit, qui ad eam neque

---

c) cf. *Sexti* P. H. I, c. 10 et 12. — Propter eamdem προπετειαν Dogmaticos cap. 14. §. 62. appellat τετυφωμενους et περιαυτολογουντας.

verbis neque cogitandi ratione accesserunt: age ante omnia, *quot sint genera philosophiae*, quaeramus. Qua in re plures adsunt auctores non eamdem sententiam amplexi. Diogenes enim Laërtius *d*) duplicem esse ait philosophandi modum, *Dogmaticum* alterum, alterum *Ephecticum;* quam divisionem ei prae reliquis probari, ex iis quae sequuntur apparet. Cum enim alii ab oppido aliisve locis, in quibus philosopharentur, alii a rebus fortuitis, (*απο συμπτωματων*) ut Peripatetici, alii ab eo, ad quod efficiendum philosophiam suam disposuerint, (*απο διαθεσεων*) ut Eudaemonici philosophi, alii rursus aliunde nomen partitionemque duxerint: illius divisionis fundamentum, altius ex ipso philosophantium animo petitum, relictis in medio iis quae ab utraque parte constituta et affirmata fuerint, ad id solum spectat, *qua persuasione de rerum cum cogitationibus nostris nexu innisi* ad philosophandum sese accinxerint, inque philosophando perseverarint. *e*) Itaque Laertius

d) De vitis clarorum philos. in prooemio.

e) Plura de his capite tertio. Notandum tamen, divisionem philosophiae in dogmaticam atque scepticam ex nostra sententia non posse dici *formalem*. Cuius fundamentum etsi ex *materia* philosophiae, (h. e. ex ipsis eius decretis), non est petitum, sed ad animum philosophantis pertinet, ad vel dogmatice vel ephectice de philosophia statuendum compositum: hic tamen animus noster pro *forma* aliqua haberi nequit, qua nihil esse posset inanius. Omnino autem formam a materie cogitando separatam negamus quidquam realitatis habere vel veri quidquam ex ea elici posse. De qua re copiosius egimus in libello: *Winke über eine durchaus praktische Philosophie.*

Dogmaticos appellatos esse ait, qui de rebus tamquam comprehensibilibus pronuntiaverint, hoc est, quibus persuasum fuerit, rerum, ad quas perceptiones pertinerent, naturam quaerendo et cogitando detegi posse; *Ephecticos* autem, qui decernere quidquam de eo, quod res vere sint, propterea, quod comprehendi ac penetrari cogitando non posse videantur, non fuerit ausi. Hos autem eosdem esse, quos iam Scepticos placet appellare, tam ex ipsa eorum, quales fuerint, descriptione, quam ex Diogenis Pyrrhone patet, ubi utrumque illis nomen inditum esse legitur *f*).

Huic iam partitioni prorsus contrarium esse videtur, quod Sextus ait primo Hypotyposeon suarum capite, ubi duobus istis philosophiae generibus tertium addit, quod *Academici* secuti fuerant. Quicunque enim in rem aliquam inquirant, eos ait aut inventuros esse de quo agatur, aut negaturos posse detegi ac inveniri, aut, si ad certum usque tempus non invenerint, protinus investigaturos. Neque aliam esse rationem philosophantium. Alios enim adfirmare, se,

f) Cf. praeter locum Diogenis supra laudatum lib. IX. ubi in *Pyrrhonis* vita cap. 8. haec habet: εφεκτικοι μεν προσαγορευονται απο του μετα την ζητησιν παθους, h. e. ab ea animi affectione constante, (*von der philosophischen Ansicht der Sache*,) ad quam per ipsum mentis cognoscentis examen pervenitur.

quid verum sit, reperisse, alios contendere, quod nulla res possit omnino demonstrari esse vera, alios denique in quaerendo vero perseverare. Iam illos appellari *Dogmaticos*, istos *Academicos*, hos *Scepticos*. Verum has tres philosophias facile intelligitur non tam modos esse philosophandi, quam terminos, in quibus desinere philosophia possit. Primum enim, quod Academici verum demonstrari posse negant, necesse est aeque verum sit ac illud, quod a Dogmaticis affirmatur; recteque Hortensius, Antipater aliique teste Cicerone *g*), consentaneum existimarunt ei, qui affirmaret nihil percipi posse, unum tamen illud dicere percipi posse, ut reliqua non possent. Neque Carneades satis vere, quin ne acute quidem, contra istam exceptionem disputavit. Acutius nostrorum aliqui, qui, dum persuasionem firmam et stabilem esse posse concedunt, hanc ei vim inesse negant, ut alios ad assentiendum recte cogere possit. Discrimen quippe faciunt inter id quod verum sit, et illud quod pro vero habeatur, (*obiective et subiective verum* appellant.) De quo pluribus infra. Hic sufficiet monuisse, quod ad partitionem a Sexto factam attinet, aut in Academia cuncta fluctuare, aut illam eius rationem dogmaticam esse, qua unum se verum vere reperisse contendat. Atque idem etiam sentiens Sextus, Academicos in multis Dog-

---

g) Acad. IV, cap. 9.

maticos esse, in aliis Scepticos, saepius affirmavit. Quid ergo proprii illis? quatenus de modo philosophandi quaesitum est. — Scepticorum autem, qui a Sexto tertio loco ponuntur, characterem si concedimus esse ἐπιμονὴν ζητήσεως, facile est videre, eos ad nullum prorsus philosophiae genus posse referri. In quaerendo nimirum persistunt. At, nisi fallor, aut sperantes verum a se inventum iri, aut hacce spe destituti. Si hoc, profecto pueriliter faciunt, qui id agant, quod nulla ratio probabile reddat effici posse; sin illud, ad Dogmaticos accedunt, Sceptici esse desinunt. An vero, utcunque ista se habeant, numquam quaerendi finem facient? Quaerent igitur, ut quaerant? Nescio sane, utrum ridendum sit, an potius dolendum. Profecto enim Sextus, cum illam philosophiarum divisionem faceret, licet eam interdum secutus sit, h) parum ipse fuit philosophus. Maneant igitur duo ista, a Diogene constituta, genera philosophiae; de Academicis, quo loco ponendi sint, postea videbimus. Quidquid enim philosophia docet, id necesse est aut ea mente tradatur, ut absolute vera te prodere putes cumque rebus cogitatis, qualescunque ipsae sint, omnino convenientia, aut ita, ut quid

---

h) Ex gr. dum Scepsin definit esse facultatem, quae sensibus apparentia, et ea quae mente et intellectu percipiuntur, conferat inter se et opponat quolibet modo; *Pyrrh. Hyp.* L. I. c. 4.

tibi verum videatur, quid tu probes, enarres, licet, cum rebus id congruere, non audeas affirmare.

Verumtamen ne aliquis dicat temere nos a nostrorum philosophorum placitis recessisse, age quid nonnullis de hisce philosophiae generibus visum fuerit, videamus. Scilicet ex aliquo tempore i) in consuetudinem venit, recentiorem omnem philosophiam ab antiquiori ita distinguere, ut hanc *dogmaticam* appellarent, nostram *criticam*. Neque hoc plane temere ac sine causa. Cum enim dogmaticam eam intelligerent, quae coeca fide habita rationi, eius decretis, quoniam veri aliquam speciem habeant, tamquam rerum naturam sincere exprimentibus assentiatur; k) criticam huic oppositam dixerunt illam, quae nihil audeat, nisi exploratis antea sententiarum latarum causis omnique iudicandi cognoscendique facultate, affirmare. Verum huius divisionis fundamentum logicum non illud esse,

---

i) Ex eo scilicet tempore, quo KANTII, viri summi, opera ad criticam philosophiam spectantia inter nos coepere probari.

k) Est haec KANTII ipsius de dogmatica philosophia sententia; vid. eius *Logica*, pag. 130. seq. Quo loco eum Dogmatismus *philosophandi methodus* appelletur, intelligitur aliam esse divisionem quam nostram; Kantius enim de modo disputat, quo quis ad philosophandum debeat accingi, nos de persuasione generali, qua ductus philosophiam suam possit describere et exhibere. Cf. etiam *Kritik der reinen Vernunft*, Vorr. p. 35. seq. — Minus recte nonnulli ex asseclis viri celeberrimi, qui Criticismum non Dogmatismo solum, sed Dogmatismo etiam Idealismum voluerunt opponere.

quo Diogenes discrimen Dogmaticos inter atque Ephecticos constituerat, sed esse *methodum* atque *prudentiam philosophandi*, (ut, si Criticus dici velis, non inexplorata ante et via et tua facultate quidquid praecipias,) et facile est intellectu, et ipsis eorum, qui illud discrimen fecerunt, testimoniis confirmatur. *l*). Quare si ad nostra philosophiae genera hanc methodi partititionem revocaveris, Dogmaticum, qui nunc dicitur, aeque ac Criticum intelliges posse δογματιζειν, in primis autem criticum tam dogmatica quam sceptica ratione philosophari. Δογματιζουσι enim omnes *m*), qui, quidquid quacunque de causa tradant, id verum esse putant ita, ut *extra vim mentis cogitantis*, hoc est in rerum natura, *exsistat aliquid*, *quod persuasioni sententiaeve suae respondeat*. Id prout a philosophis vel in re necessario exsistente, (*absolutes Seyn*,) vel in necessaria intelligentiae natura (*reine Ichheit*, *absolute Handlung*), positum fuit, ita ipsis vel Dogmaticorum sen-

---

l) Cf. inprimis Schmids *Wörterbuch der krit. Philosophie*, art. Criticismus, Dogmatismus, Methode al.

m) Propriam hanc esse vocis significationem, neque δογμα placitum quodlibet esse appellandum, ex multis tam Diogenis, quam Sexti aliorumque scriptorum locis potest doceri. Et *Sextus* quidem δογμα esse ait την τινι αδηλῳ συγκαταθεσιν; αδηλον autem est, quod sensibus non patet, sed cogitando (ut putat) quaerendum est; *Pyrrh. Hyp. I*, 7. — *Diogenes* autem in *Pyrrhone* cap. 13. inter alia Scepticos sic loquentes inducit: ὁτι τοδε λευκον φαινεται, διηγηματικως λεγομεν, ου διαβεβαιουμενοι ει και οντως ες͵ι. περι δε των φωνων λεγομεν ὡς ου δογματων· ου γαρ εισιν ὁμοιαι τῳ λεγειν ὁτι σφαιροειδης ες͵ι ὁ κοσμος·

su strictiori n) vel Idealistarum, vel simile nomen inditum est. Omnes autem, nec non nos ipsos o), dogmatice philosophari censemus, neque id improbantes, ut quod ipsa ferat naturae humanae necessitas. At non perinde est, qua methodo aliquis in philosophando utatur. Perversa enim haud dubie eorum ratio est, qui nolunt ab examine critico rationis humanae ordiri, atque sic ad recte de philosophia deque ipso animo statuendum praeparari. Verum cur philosophus Criticus nequeat iure suo dogmatice versari, modo contra Scepticam rationem causam suam sustinere sciat, nullo pacto intelligimus, quin bona censeri ratio Dogmatica, nisi critica methodo utens, non potest. At vero nec ille solum dogmaticus appellandus est, qui (mirum!) extra mentem rem cogitatam iisdem, secundum quas cogitatur, notis instructam adesse opinatur, sed cuicunque persuasum est, esse aliquid a

αλλα γαρ το μεν αδηλον, αἱ δε εξομολογησεις εισι.

n) Illo sensu, quo Kantii sectatores solent hac voce uti. Inter hos clarissimus est *Wolffius*, princeps. *Spinoza;* referendi autem eodem omnes, qui censuerunt, et rerum apparentium et ipsius animi causam primam demonstrari posse inesse in *absoluto obiecto* seu substantia infinita.

o) Certe alio sensu, quam qui plerumque vel Dogmatici vel Idealistae dicuntur. Neque *Realismi* vox, qua placuit persuasionem nostram exprimere, ita accipi debet, quasi de rebus, sicuti Realistae inter Scholasticos, sentiamus. Nimirum *nihil, quod reale dici possit vel verum, ex sola intelligentia explicari posse,* contendimus, quamquam longe minus poterit ex re exsistente.

cogitatione diversum, ad quod ea pertineat, ac *posse intelligi*, VERAM *hanc esse cuiuslibet hominis persuasionem.* Optime enim Cicero *p*) hoc esse maximum, ait, in philosophia, iudicium veri; quod dubium habere, abhorrere a sapientia plurimum. Sic autem interpretor. Verum quid dicatur, constat: nimirum attributum est cogitationibus nostris proprium; neque res *veras* recte dicimus, aut quae fiunt, *vera*, sed *adesse* dicuntur res, ac *re vera* fieri *q*); ipsa autem ea, quae cogitamus, si cum necessitate quadam cogitantur, ideo non sunt vera. Id enim solum verum est, quod iure existimatur pertinere ad aliquid, (*obiectum* dicamus,) ab ipsa cogitatione vel perceptione (h. e. a cogitandi percipiendive *actu*) diversum, cumque eo congruere. Cuiusmodi verum qui se tenere confidit, in philosophando δογματιζει; qui aut desperat de eo, aut dubitat quin teneri ab homine possit, probabilia tantum secutus ac cogitationum necessitatem, etsi συγκατατιθεται, tamen idem επεχει *r*).

---

p) Acad. IV, c. 9. extr.

q) Facilius vernacula lingua distinguit inter *wahr* et *wirklich*, illud cogitationum, hoc sensuum atque rerum attributum constituens. — Cogitationes rite effictae atque formatae, (*logisch und subjectiv-wahre*,) cum ad aliquid a vi cogitante diversum referuntur, dicuntur *reales* seu *verae* sensu proprio ac stricto, (*objectiv und eigentlich wahr*, *real*, *gegründet nicht im blosen Ich.*)

r) En locum Sexti, P. H. I, 7: πλην αλλ' ει ὁ δογματιζων τιθησι ὡς ὑπαρχον τουτο ὁ δογματιζει, ὁ δε σκεπτικος τας φωνας αυτου προφερεται, ὡς δυναμει ὑφ' ἑαυτων περιγραφεσθαι· ουκ αν εν τῃ προφορᾳ τουτων δογματιζειν λεχθειη.

Caput III.

De Scepseos principio, ortu et incrementis.

Compertum iam ex iis, quae disputata a nobis sunt, habemus, Scepsin omnem, quatenus αδοξαςως quae sibi vera videantur prodat, non posse ad aliud philosophiae genus referri, sed ipsam constituere peculiarem philosophandi rationem. Quare ea omnino nequit ex ullo scriptore penitus cognosci, sed quaecunque eos, qui Scepticorum nomine veniunt, tradidisse accepimus, diligenter animo perlustrare debemus, num illo sensu tradita fuerint, cuius *principium* est in hac persuasione: *quae vera videantur, etsi iis non assentire non possimus, tamen non satis recte haberi pro exprimentibus ipsam rerum cogitatarum naturam.* In quo principio si forte aliquis Scepticus sibi non satis constiterit, facile evenire possit, ut in singulis eum Dogmaticum factum censeamus; atque vicissim Dogmatici haud raro reperientur a Scepsi perparum abfuisse. Simili ratione Kantius utrumque philosophiae genus videtur coniunxisse. Postquam enim in theoretica philosophiae parte varia in medio reliquit, quae, quomodo se habeant, ratio demonstrare non possit, ut, liberam esse

voluntatem, necessarium esse in mundo causarum nexum, esse extra nos obiectum transscendentale *s*), alia: de iure, de officiis, de fine bonorum in practica philosophia ita praecipit, ut nemo de relictis Scepticismi vestigiis conqueri possit.

At video nonnullos, qui omnino Scepsin, scholarum instar, a principiis ordiri negent. Qui quamvis magnam partem et doctrina et ingenii acumine ita emineant, ut, in re propria recte eos vidisse, suspicari liceat: tamen ab iis non dissentire non possumus, certo persuasum habentes, aut nullam esse, qua quispiam teneatur, persuasionem, aut, si qua sit, eius quoque principium et esse, et posse enuntiari. Quid enim aliud dicemus *principium*, quam eam persuasionem, a qua reliqua, quibus assentimur, procedunt, et ex qua, ordine logico constituta, consequuntur? Quod si quis negaret, evertere videretur naturam humanam. Deinde quid, quaeso, illud est, quod aiunt Scepticum nihil universe affirmare *t*)? Potestne quisquam quidquam habere persuasum, qui non omnes

---

s) Istud *obiectum transscendentale*, quod Kantius ait esse =x, omnique realitate, si per se aliquid valere putetur, destitutum, inprimis clare docet, eam esse criticae secundum Kantium philosophiae rationem, ut ex mentis solius vel notionibus vel actionibus nulla omnino realitas, (nisi logica, quae nulla est,) consequatur. vid. quae diximus in not. *q*.

t) Ill. Platneri philos. Aphor. I. notis ad §. 706. media, §. 708. extrema.

idem de eo iudicaturos esse confidat, modo eadem cum ipso via ad istam persuasionem fuerint adducti? Aut, si nihil universe, num nec de virtute aut in Geometria omnibus idem putabit necessario esse iudicandum? Imo in his et licet Sceptico eadem cum Dogmaticis sentire, et multi universe pronuntiarunt; pernegantes modo doceri posse, quod ista universe necessarioque affirmata cum rerum natura vere conveniant [u]). Verum nec ipsum Sextum hac in re satis probare possumus, quem constat inter plures Scepticismi descriptiones hoc etiam tradidisse, Scepticum numquam aliud quam *το ἑαυτου παθος απαγγελλειν* [v]), h. e. eam tantum rationem iudicando explicare, qua rebus, quae extra eum positae videantur, iam sit affectus. Quibus verbis si Scepticum philosophandi modum definire voluisset, hoc dixisset, Scepticos in suis perceptionibus acquiescere, parum curiosos num eae verae sint nec ne. A qua sententia Sextum ipsum abhorruisse, facile deinceps erit ostendere; homini eam pro

---

u) Audiamus PLATNERVM l. l. pag. 362: *Die Skeptiker gestehen das Daseyn der ganzen menschlichen Erkenntniſs zu; nur wollen sie sich von den Vorstellungen keinen objektiven Gebrauch erlauben.* Sed ne in ipsa quidem vita Scepticos dogmatice assentire voluisse, monstrat Sexti *μετριοπαθεια εν τοις κατηναγκασμενοις*, P. H. I, 12. (vid. Henr. Stephani nota ad h. l.) et L. III, §. 235: *εν τοις κατηναγκασμενοις ὁ Σκεπτικος μετριοπαθει· (και τουτο μεν) μη προσδοξαζων, ὁτι τουτο ὁ πασχει κακον ἐςι φυσει.*

v) Pyrrh. Hyp. L. I, c. 7. xtr.e

priam non esse, res ipsa loquitur. Sumus enim omnes nati ad iudicandum cum persuasione veri, neque nati solum, sed facti et destinati. Cui quemadmodum in vita omnes adhaeremus, dum sensibus fidem habemus, ita et Sceptici adhaerent, confitentes se vivere *προσεχοντας τοις φαινομενοις* x), ac sequi *λογον ὑποδεικνυντα αυτοις το ζην προς τα οικεια παθη* y). — Sed nos hic, qua mente sic statuant agendum esse, quaerimus, neque ita eos expediri patiemur, ut dicant, hanc scilicet suam esse rationem, atque omnino sanam mentem omnibus *αδοξαςως* sequendam esse. Certe enim hoc universe affirmant, ponuntque principii loco. Quare non est, cur Sceptici principia agnoscere nolint. Quidquid enim verum sibi videri aiunt, de eo certo persuasi sunt, ut si dicas eos errasse, haud facile sileant.

Quisquis autem ille sit, qui prima genuinae Scepseos vestigia exhibuerit, hoc certum est ac per historiam confirmatum, neque principem eum fuisse philosophantium, neque omnino a Scepsi philosophiam potuisse incipere. Ita enim homines natura comparatos esse constat, ut ad quodlibet de rebus, quae circa ipsos sunt, statuendum ferantur, nec nisi tum a iudicandi temeritate sibi temperent, cum multiplex experientia, non ab arbitrio huma-

---

x) P. H. I. 11. y) P. H. I. 8.

no pendere res, sed subigendum ingenium et ad conditionis nostrae necessitatem conformandum, docuerit. Sic Thaletem in aqua, Pherecydem in aethere, Heraclitum in igne rerum principium quaesiisse accepimus; Pythagoras ordinem huius universi a numeris pendere, Anaxagoras ratione quaeque formari atque moveri, Xenophanes aliique in mente sola verum inesse, ab ea percipi, decreverunt. z) Cuiusmodi de rerum natura ac de fonte veri opinionibus palam factis iisque sibi haud raro contrariis, reperti sunt qui eas inter se conferrent, eam videlicet, quae probabilior futura esset, accepturi. Atque tum demum in philosophia exorta quaestio est, qua ratione hucusque homines fuerint philosophati, an, quae stabilita fuerint, possint pro veris haberi, qua denique nota, quid verum sit, dignoscatur.

Fuit haec sine dubio Scepseos origo, licet eum, qui primus istas quaestiones movit, quisquis fuerit, nolim ob id Scepticum appellare. Vix enim illi poterat de rationis limitibus ita persuasum esse, ut omnem ei de rebus (obiective, sensu metaphysico,) decernendi et ius et facultatem negaret; quin verisimile est, eum reiectis de-

z) Philosophiam inde ab antiquissima aetate a parvis initiis orsam *gradatim* ad mentis purae ac creatricis notionem pervenisse, nemo est rei gnarus, quin intelligat. Cf. libellus ingeniose scriptus: *Weltgericht der Philosophen, von Thales bis Fichte, Leipzig*, 1801. 8.

cretis decernendi modum dogmaticum servasse [a]). — Neque rectius alii, quos historia prodit antiquissimos illos physiologos magis quam philosophos esse secutos. Qui quum, comparatis ceterorum opinionibus, haud facile liquere intelligerent, in quam potissimum sententiam animus flecti deberet: rem initio dubiam, mox prorsus incertam existimarunt; deinde opinionum diversitate in dies aucta, amplius quaerendo in sua opinione confirmati, arte sua dissidentia inter se conferendi tantopere sibi placuerunt, ut novae philosophantium sectae nomen darent, ipsiusque sapientiae vocem usurpantes *σοφιςαι* appellari vellent, tamquam id, quod omnes quaerunt, eo assecuti, quod reliquos non assecutos esse ostendissent. Quam Sophistarum rationem etsi cum Socrate valde improbamus, tamen ex eorum turbis Scepsin antiquissimam, rem profecto salutarem, emersisse haud diffitemur; non eo quod tum fuerit dubitatum, (dubitamus enim omnes, neque ob id Sceptici sumus;) sed quia Sophistae, nihil certi opinionibus humanis inesse monstrantes omneque verum ad illa *προς τι* pertinere contendentes [b]), omnino

---

a) Eo referenda sunt multa ex iis, quae Exc. *Stäudlinius* tradidit, libri, *Geschichte und Geist des Skepticismus*, vol. I. p. 156 — 200.

b) Meminerit lector istius Protagorae: *ὁτι μετρον παντων εςιν ὁ ανθρωπος*. Qua sententia cum verum in aliqua relatione consistere dicatur, omnino tollitur. — Ceterum de hac Scepseos ex Sophistarum arte origine non satis vere *Stäudlin* l. l. p. 226: *die Sophisten verbreite-*

ancipitem esse hominis de rebus iudicandi facultatem, haud obscure significarunt.

Ex hac Scepseos origine iam licet eius notam maxime constantem cognoscere hanc, quod id semper agit, ut aliorum placita refutet. Etsi enim Scepticorum disciplina ipsa satis munita esse videtur eo, quod ex mentis natura critice explicata totius suae rationis causam idoneam ducere tentant c): tamen non in alium finem ab iis de animi facultatibus disputari, quam ut veri criterium perfectum ex eo peti posse negent, et res ipsa docet, et Scepticorum de se testimonia confirmant d). Ergo semper contrarias aliorum partes tuentur, neque id in gratiam suae vanitatis, sed propter ipsam, credo, humanitatem, cuius profecto interest, si inania sunt quae in philosophorum sermonibus iactitantur, ab iis sibi temperare, neque vitam vero pulchro atque honesto impendendam

ten durch ihre Kunst den Geist des Skepticismus mehr, als sonst kaum jemals geschehen ist. Quidquid enim in Sceptica institutione probandum est, id ne levissime quidem Sophistae tetigerunt.

c) Id multi fecere; exemplo sint *Humius, Platnerus, Schulzius, (Kritik der theoretischen Philosophie,* vol. I. *Hamburg,* 1801.) *Creuzerus, (Skeptische Betrachtungen über die Freiheit des Willens. Gieſsen,* 1793;) et recte *Platnerus* Criticam Scepticam *psychologicam* appellavit. Neque video, quae alia, si rem recte consideres, esse possit.

d) Cff. libri modo laudati. *Platneri* verba sunt (Aphor. I. p. 364. n. 6:) *ein reales Kriterium der objektiven Wahrheit ist nicht zu erfinden, und ein bloſs formales ist nicht hinreichend.*

vanis cogitationum nugis frivolisque scholarum argutiis perdere atque profundere. Quod tamen si ita se habet, facile colligitur, Scepticismum pari semper cum Dogmatismo gradu processisse. Cuius rei historia testis est. Cum enim, qui vel ante Socratem vel ipsius aetate philosophati erant, neque argumentis subtilibus et ex accurata naturae humanae cognitione derivatis usi essent, neque etiam disciplinae rationem habuissent eadem diligentia, qua nunc plures conspicui sunt, descriptam: eorum adversariis, quorum principes numquam non Sceptici fuerunt, non opus erat profunda illa mentis humanae scientia, qua nostrorum aliquos excellere videmus, sed faciliori negotio Dogmaticos poterant perturbare; perturbati autem illa tempestate haud procul aberant, quin se convictos faterentur. Crevit ergo tempore Scepticismus, et recte nos ea, quae Pyrrho ac Timon ipseque Aenesidemus scripserunt, levia nunc iudicamus, nec facile in libris sceptici argumenti censemus iis esse utendum. Praestat Pyrrhoni Sextus, Sexto Humius; perfectum autem Scepticum nondum contigit invenire. Quo nomine non alius appellandus erit quam ille, qui contra perfectum Dogmatismum *e*), nullam dari certam de convenientia eius, quod

e) Perfectum Dogmatismum aeque non exstitisse putamus, ac Scepticismum perfectum. De quo vid. nota sequens.

verum putatur, cum obiecto suo persuasionem, si possit, docuerit.

Nunc ex proposito omnem Scepticismi naturam copiosius explicaturi, *gradus* Scepticae institutionis et Scepticorum velut ordines constituamus. Ut enim quisque dogmatice philosophandi rationis principia rectissime cognovit, ita gravissime potuit contra eam disputare. Atque sic alios reperiemus, quibus satis esset monuisse, omnino *nihil esse certi;* alios, qui istam sententiam accuratius explicantes *generalia ac necessaria rationis principia esse negarent;* rursus alios, qui concedentes, persuasionem firmissimam atque rationis principia subiectiva esse posse, *verum ipsum iis non attingi* contenderent, *verique criterium obiectivum esse negarent*; *f*). De quibus iam sigillatim videamus.

---

f) Factum id est ad nostram usque aetatem (inprimis a *Humio, Kantio, Jacobio,*) eatenus, quatenus Dogmatismus *cognitionem* affectaverat illius *causae*, qua fieret, ut *recte* putaremus, cogitata a nobis pertinere ad aliquid a vi cogitandi humana diversum, sive esse *realia*. Istam causam, istud πρωτον in omni cognitione, nunc *rem absolutam*, s. ens reale, (*Ding an sich,*) nunc *intuitum intellectualem,* (*intellectuelle Anschauung, a Fichtio, aliis,*) nunc *cogitationis translationem primitivam,* (*das angewandte Denken als solches,* a *Reinholdio*, Bardilium secuto, in libro: *Beiträge zur Kenntniſs des Zustandes der Phil.* St. II. p. 199.) appellatum esse constat. Atque contra haec recte moneri demonstrarique potest, *cognosci* illud πρωτον, hoc est mentis acie attingi cogitandoque satis exprimi, numquam posse. — Ergone vicerit Scepticismus? — Non vicit, credo. Nam hoc philosophiae superest laboris, ut certo demonstret, quomodo homo, si sanus esse rationemque audire velit, de

CAPVT IV.

De primo Scepticismi gradu.

Ut igitur ab antiquissimis ordiamur, illos rem suam, quae Scepsis iam coeperat appellari, ita explicasse reperimus, ut *pro omnibus et contra omnia* et contenderent disputari posse, et ipsi disputarent. Quae etsi Sophistarum primum ratio fuit, tamen ab iis ad Scepticos manavit, neque huic philosophiae generi tunc temporis quidquam esse poterat accommodatius. Cum enim antiquior philosophia nondum eo pervenisset, ut per fines rationi positas, quousque in vero quaerendo progredi liceret, decreto stabili posset affirmare: in iis, quae ad certum usque tempus vel quaesita vel inventa fuerant, erat subsistendum, et ad fidem, rationi in rebus divinis humanisque praepropere certe habitam, vel infringendam vel evertendam; sufficiebat, contraria super iisdem rebus cum probabilitate aliqua doceri posse, monuisse. Nimirum quidquid tunc temporis ab iis, qui dogmatice philosophaban-

isto veri principio, quod frustra adhuc et dubia via quaesitum est, debeat apud se statuere ac sentire. Inceptum a Kantio opus nondum videtur esse perfectum. De eo autem, quid agendum censeamus, alio loco.

tur, prolatum esse accepimus, valde infirmis id ipsum argumentis nitebatur. Quid enim habuerunt physiologi illi, quo vel aquam, vel aerem, vel ignem rerum omnium principium continere ostenderent? Scilicet huiuscemodi materies frequentissima rebus inesse, eas inprimis componere, iisque solutis relinqui videbatur; quae nisi oculis percipi et palpabilia omnia esse putassent, nihil profecto, quo se munirent, habuissent. Neque rectius ii, qui infinitum aliquod (απειρον dicebant, quoniam sensibus nusquam pateret,) per omnia pandi affirmarunt. Quin quo minus id sensuum ope cognoscebatur, eo largiorem dubitandi copiam vel propter ipsos sensus, vel propter ancipitem merae cogitationis auctoritatem praebebat. Ii denique, qui ad mentem omnia permeantem atque secundum ordinem digerentem cogitando propius accesserant, cum haud dubie non vim intelligentem eam diceren a rerum materie omnino secretam, sed naturam rebus occulte insitam existimarent, causam ordinis atque vitae: per hanc ipsam mentis suae obscuritatem et a rebus apparentibus clareque cognitis diversitatem ultro quasi offerebant adversariis dissentiendi causam sane haud incongruam. g) Prudentiores autem Scepticos fuisse

---

g) De ipsis opinionum illarum auctoribus, cff. historiae philosophicae scriptores. Nominatim autem de *Anaxagora*, cuius sententiam postremo loco explicavimus, sic constat ex viri doctissimi, *Carus*, de

Sophistis, quis est qui neget? Qui cum partim decreta decretis opponentes omnia miscerent, partim pravo consilio reliquos turbantes sibi subtilitatis atque scientiae laudem parare studerent: Pyrrhoniis satis fuit, ab ista animi ad decernendum de rebus proclivitate sibi temperasse. Neque eam alia de causa προπετειαν h) appellasse putandi sunt, quam quod non satis examinatis rerum causis a Dogmaticis esset pronuntiatum. Qui si omnem rei ambitum explorandi patientiam habuissent, inventuros aiebant fuisse, pares contraria statuendi causas suppeditari. Quare suspendendum esse iudicium, neque omnino quidquam de rebus asserendum. i)

Ecce primam quasi speciem, qua Scepsis, admodum illa quidem imperfecta, apparuit. Parum enim aberat, si non satis caute Sceptici versabantur, quin ad animum plane incertum, intemperatamque de omnibus dubitandi libidinem cum Sophistis delaberentur. Quod si nonnullis accidit k), eo evenisse putamus, ut non solum incer-

---

Anaxagora Clazomenio commentatione, quae exstat in *Füllebornii Beiträgen zur Geschichte der Philosophie*, 10. *Stück*. pag. 162. inpr. pag. 202. seqq.

h) Valde creber vocis usus apud Sextum. Opposita ei est απροπτωσια Scepticorum, cf. *Diog. Laert.* in Pyrrhone, cap. 8.

i) Habes εποχην sensu antiquissimo; quae deinde characterem suum ita mutavit, ut non nisi a iudiciis ad metaphysicam spectantibus sibi caveret.

k) Accidisse, colligere licet ex iis, quae et *Diogenes* de Timone et aliis cap. V. seqq. tradit, et quae in *Stäudlinii* libro passim occurrunt, vol. I. periodo I. nec non II.

tum nonnumquam in philosophiae historia relinqueretur, magisne aliquis Scepticis quam Sophistis adnumerandus esset, sed etiam haud pauci de Scepticismo tam abiecte sentirent, ut ipsis Sophistis minus infensi viderentur. Quod profecto interdum mirati sumus, dum vel legimus vel audivimus. Sed nil opus est, hic singulos notare. [l]) Rectissime autem Laërtius [m]) antiquissimam Pyrrhoniorum rationem explicavit, ubi eos monstrasse ait ex eo, quod contrariae essent Dogmaticorum sententiae omnes, paria utrimque exsistere assensus momenta, fierique non posse, ut de rebus vel ad sensus vel ad intelligentiam pertinentibus certi quidquam constitueretur. Ex eodem genere illa sunt, quae *Timon Phliasius*, teste Aristocle apud Eusebium [n]) *αδιαφορα* appellavit, hoc est ea, in quibus nulla

l) Ex. gr. in *Stäudlinio* desideravimus acumen, l. l. I. p. 314. 332, al. — Notandus etiam *Creuzerus*, in aliis praeclarus, quem non intelligimus quomodo potuerit libri sui (*Skept. Betr. über d. Freih. d. Willens*) p. 65. haec scribere: *der Zweck des Skepticismus im eigentlichen und strengen Sinne ist kein andrer, als jedes entscheiende Urtheil gänzlich zu vernichten; und uns in den bodenlosen Abgrund der Ungewissheit und Zweifelsucht zu stürzen.* Certe hunc Scepticismum non eum esse, quem auctor libri ipse amplexus sit, id ea probant quae scripsit.

m) *Pyrrhonis* cap. 8. extr. *εδεικνυσαν ουν απο των εναντιων τοις πειθουσιν, ισας τας πιθανοτητας.* Et cap. 11. *δει δε η δι' αισθητου η νοητου κριθηναι· ἑκατερα δε αμφισβητειται· ου τοινυν δυνατον τας περι αισθητων η νοητων επικριναι δοξας.* Multus in hac re est *Bayle*, Diction. hist. et crit. art. *Pyrrhon*, inprimis not. A et F.

n) Praeparat. evangel. Lib. XIV. cap. 18 in. *επισης αδιαφορα*, ait, *και αςαθμητα, και ανεγκριτα*, i. e. *de*

omnino causa alterutrum ex contrariis eligendi reperiatur. Neque male idem, quod Laertius refert, o) in *Sillorum* sive Satyrarum contra Dogmaticos libris ita exorsus est:

Ἑσπετε νυν μοι ὁσοι πολυπραγμονες εστε σοφισται!

Aliis enim, quam quibus Sophistae, armis ille uti non poterat, quippe Scepsi ad perfectionem nondum perducta. Porro *Aenesidemus* in iis, quae Photius p) ex eius Πυῤῥωνειοις servavit, antiquissimum Scepseos characterem maxime perspicue expressit, dum ita scripsit: οἱ Πυῤῥωνειοι απορητικοι τε εισι και παντος απολελυμενοι δογματος; quamquam idem alia multa habuit, quae doceant, eum Scepticam philosophandi rationem magis excoluisse, et ad primam atque alteram Scepticorum classem esse referendum. — Istae autem satis tritae Scepticorum *voces*, (φωναι), q) quid aliud exprimunt, quam nimis laudatam ab iis in omni iudicio aequabilitatem? Ουδεν μαλλον, aiunt, παντα εστι αοριστα, ου καταλαμβανω, ουδεν ὁριζω; id est, certum, quod affirmem, neque ex me habeo, neque ex rerum contemplatione duco, sed causis contrariis ad as-

quibus nihil constanter, s. satis vere possit iudicari. Eadem postea Sextus αδηλα appellavit, alio quidem sensu ac rectius; de quo infra videbimus.

o) Timonis cap. 2.

p) *Photii* bibliotheca, ed. Höschel, fol. pag. 280.

q) *Diog. Laert.* Pyrrhonis cap. 8. — *Sext.* Pyrrh. Hyp. I. cap. 18 — 28.

sentiendum aeque ac ad dissentiendum commotum me sentio. Quae omnia Sophisticam nimis produnt de omnibus ambigendi rationem, cuius ego miror in ipso *Sexto* vestigia plura superesse. r) Eius enim, quam capite IV. primi Hypotyposeon libri exhibuit, Scepseos definitio tota ex hoc genere est. Ait enim esse *δυναμιν αντιϑετικην φαινομενων τε και νοουμενων.* Quam omnes opiniones comparandi sibique opponendi facultatem etsi non negamus a Sceptica ratione abesse non posse: tamen ei non ita propria est, ut universam eius naturam explicet a dogmatico philosophandi modo satis clare distinctam. Etenim causa desideratur, ob quam contraria a Scepticis soleant conferri, seu finis ad quem se cupiant duci; ac Sextus ipse aliis in locis *τον σκεπτικον χαρακτηρα* ita explicat, ut, eum in disputando solum in utramque partem neutiquam constitisse manifestum sit. Praevaluisse tamen in ipso Sexto antiquissimam hanc rationem a Sophistis petitam, inprimis ex iis cognoscere licet, quae in libris adversus Mathematicos, maxime adversus Geometras et Physicos, congessit; ex quibus perspicuum est eum multa vix fuisse dicturum, nisi opus esse in Scepticismo huiuscemodi singularum opinionum refutatione existimasset. s)

---

r) Ex. gr. P. H. I. 12. 13.

s) Ceterum in nullo loco Sextum,

Similem aliorum, *Academicorum* etiam, philosophandi methodum fuisse, testes sunt et Cicero *t*) et Sextus *u*). Etsi enim Academia a Scepsi eo multum differre putabatur, quod verosimilibus ὡς πιθανωτεροις assentiret, adeoque aliquid certi habere videretur: tamen id tanti non fuit; atque Scepticorum *οικεια παθη*, et *τα κατα φαντασιαν κατηναγκασμενα παθη*, si non pro probabilioribus habebantur, certe unicam sistebant (aeque ac Academicorum *πιθανωτερα*) rationem, qua homines illi oratione fluctuantes in vita sese munirent et expedirent. Atque haec de antiquioribus dicta sufficiant.

In recentioribus primam illam contra omnia disputandi legem non ita reperi, ut eos ad primam Scepticismi classem audeam referre. Quae enim *Montaigne* interdum scribit istis similia *v*), ea obiter, ut multa ab eo, scripta

idem cum Sophistis sensisse, ex eo liquet, quod definitioni suae, cap. 4. mox addit: *ου κατα το περιεργον*, i. e. neutiquam ita, ut, more Sophistarum, multum operae studiique in ea re ponamus, tamquam non medium philosophiae nostrae, sed finis sit; *αλλ' ἁπλως κατα το δυνασθαι*, i. e ita ut, si cui lubeat rationis nostrae causas cognoscere, singula singulis opponendo eas explicare valeamus. — Non videntur satis assecuti esse Sexti mentem *Fabricius* et *Stephanus* in notis, voces *απεριεργως* et *αδοξαςως* eodem sensu accipientes, et ita explicantes, ut Sextus dixerit, „se cum nemine velle huius voculae (*δυναμις*) causa litigare." Quamquam probe intelligo, *απεριεργως* alibi de nimia Dogmaticorum circa verba curiositate usurpari.

t) Acad. IV, c. 9 seqq.

u) P. H. I, 33. Ceterum de Scepseos Academiaeque diversitate infra prolixius.

v) *Michel de Montaigne* essais, à Londres, 1754. 10 voll. — Inprimis huc pertinet L. II, c. 12: Apo-

esse neque ad explicandam philosophiae suae rationem, is non ignorat, qui eius tentamina eleganter scripta accurate perlegit. Magis huc accedit *de la Mothe le Vayer*, qui in dialogis suis **) plurimus est in comparandis hominum opinionibus maxime discrepantibus. Verum et hic vir ista methodo non nisi in eum finem usus est, ut ex communi circa omnia dissensione colligeret nihil esse, quod certo constaret et ob id pro vero posset haberi. Quae sententia cum genuinae Scepsi magis conveniat, eiusque alteram quasi classem constituat, ad eam iam sine mora transgrediamur.

---

logie de Raymond de Sebonde, vol. 4 et 5, et huius vol. pag. 18. seqq. — Verum equidem non possum Montanum inter Scepticos tanti aestimare, quanti *Stäudlinio* aestimandus videtur, *Gesch. u. G. d. Skept.* II, p. 6-27. Ut enim maxime emineat inter homines ex sana ratione recte iudicantes et acute ingenioseque sentientes, ad philosophiam, cuius est in causas sanae rationis inquirere, eum neque coeli neque temporis ratio satis eniti passa est. Atque sic etiam de Sceptica ratione suaviter magis disseruit, Sexti aliorumque testimonia secutus, quam subtiliter vereque disputavit.

**) Titulus libri sat noti est: *Cinq dialogues, faits à l'imitation des anciens, par Oratius Tubero; à Mons*, 1671. In dialogo, *de la philosophie Sceptique* inscripto, (pag. 80. edit. *Kahlianae*, Berol. 1744.) haec leguntur: *Ainsi nostre axiome disant, qu'il n'y a rien de certain, se comprend et enveloppe soy mesme, en telle sorte qu'il ne prononce rien contre autruy, qui ne s'estende sur luy mesme. — Rien ne peut subsister de certain devant nous.* De aliis alio loco. Cf. *Bayle* art. *Vayer*. (Quantopere sibi placet hic vir, quoties cum Sceptico agendum est! Ipsius autem Scepsis qualis fuit? Nimirum in atrio consistens protinus intrare metuebat.)

Caput V.

De secundo Scepticismi gradu.

Est autem ita comparata ratio humana, ut in rerum causis explorandis occupata ad primum principemque cuiusvis cognitionis fontem indefessa progrediatur. Quod quidem in Sceptica institutione aeque ac in aliis factum est. Si enim ab antiquissimis Scepticismi patronis historia duce ad eos, qui vel proxime illos, vel temporis aliquo spatio interposito secuti sunt, descendamus, eos philosophiae suae characterem ita vel mutasse vel excoluisse reperiemus, ut causam, cur pro omnibus et contra omnia disputandum fuerit, exhibeant. *Negant* enim, *universa esse vel necessaria cognitionis principia*, negant, *veri criterium universale posse inveniri.* Ergo cum antea id modo quaesiissent, *quousque tunc temporis* cogitando et explorando philosophia pervenisset: iam coeptum est de omni cognoscendi iudicandique facultate *universe* pronuntiari. In quo habemus *causam* illius Sophisticae magis quam vere Scepticae rationis; etenim propterea singulis singula disputando recte opponuntur, quod sic clarissime confirmatur, absolute et universe verum nihil esse; cuiusmodi si esset, paria ubique et affirmandi et negandi momenta offerri non possent.

Sed cum temere hoc contendisse a philosophia maxime abhorreat, age ex historia ipsa, ita rem se habere, cognoscamus. Ut igitur taceam, ipsius *Protagorae* Sophistae dictum, *ὅτι παντων χρηματων μετρον ὁ ανθρωπος*, huc haud dubie pertinere *y*): *Pyrrhonem* certe traditur non contendisse solum, sed etiam demonstrare studuisse, *αγνωςον ειναι το κριτηριον, και δια τουτο την αληθειαν* *z*); apertiusque in iis, quae de bono et malo disseruit, propterea *absolute* bonum quidquam (*φυσει αγαθον*) esse negavit, quod eius quae sit natura *universe* nunquam cognoscatur *a*). Quod autem Pyrrhonii nihil res differre dixerunt, paria esse omnia propterea quod incerta omnia sint, et hisce similia, ea perinde est, malit aliquis ad primum Scepseos characterem referre, an pro tertio, qui in eorum, quae persuasionibus, et eorum, quae rebus insunt, (*του* subiectivi puta et *του* obiectivi, ut nostri loquuntur,) discrimine versatur, obscure significato accipere. Pyrrhoniis enim, quod et no-

---

y) *Diogenes* in Protagora, c. 4. — Eadem videtur fuisse causa, cur Ill. *Platnerus* istam sententiam in Scepticismi sui delineatione ultimo loco ponendam putaret, *Aphorism.* I. pag. 374, n. 8.

z) *Diog.* Pyrrhonis cap. 11. — Praecedunt haec (§. 94:) *ητοι κεκριται το κριτηριον, η ακριτον εςιν. αλλ' ει μεν ακριτον εςιν, απιςον καθεςηκε, και διημαρτηκε του αληθους και του ψευδους· ει δε κεκριται, ἑν των κατα μερος γενησεται κρινομενον· ὡς' αν το αυτο και κρινειν και κρινεσθαι, το κεκρικὸς το κριτηριον ὑφ' ἑτερου κριθησεται, κἀκεινο ὑπο αλλου, και ὁυτως εις απειρον.*

a) Eodem capite, §. 101. *κοινον δε ουδεν παντων αγαθον η κακον εςιν· ὀυκ αρα εςι φυσει αγαθον η κακον*; et paulo post: *αγνωςον ουν το φυσει αγαθον.*

stris accidere solet, saepissime accidisse constat, ut, non in eadem semper via insistentes, docerent, quae ad unum idemque principium commode revocari non possent. Ita fit, ut eumdem virum, in variis eiusdem generis philosophiae speciebus seu ordinibus explicandis, testem rei nostrae facere debeamus.

Haud alia est Sexti ratio, quamquam is magis perspicue, nihil vel *universe* vel *absolute* de rebus asseri posse, declaravit. Quos enim τροπους της εποχης, seu modos assensionis retinendae [b]) enumerat, ii fere omnes eo nituntur, quod nihil possit αποδεικτικως sive pro absolute vero affirmari; sed in omni re relinquatur aliquid, quod penetrare non liceat, ut, si omnia hypothetice vera sint, universe haud quidquam affirmari possit. Cum autem triplex modorum illorum series a Sexto exhibeatur: in iis iudicandis lubenter sequimur eos, qui a Pyrrhoniis recentioribus modos antiquitus traditos ac minus apte expressos ad pauciores efficacioresque reductos fuisse suspicantur. [c]) Ita *decem* illi, qui Pyrrh. Hyp. cap. 14. continentur, licet ex parte verum Scepseos characterem exhibeant, tamen interdum nimis Sophistico modo explicati sunt; quare omissis illis in quinque sequentibus, cap. 15. traditis, commora-

b) Pyrrh. Hyp. I. c. 14 — 16. — Cf. *Diog.* Pyrrho, c. 11.

c) vid. *Stäudlin.* l. l. vol. I. p. 410 et 413 in notis. Idem censet *le Vayer*, in dialogo: de la philosophie Sceptique, p. 81. Et loquitur res ipsa.

tum fuisse sufficiet. Et primus quidem, quem ἀπο της διαφωνιας appellat, ad antiquissimam Scepsin redire videtur, de qua supra exposuimus. Secundus autem, ὁ εις απειρον εκβαλλων, aperte negat esse certum aliquod, unde verum cognoscatur. Si enim, dum alicui rei assentimur, propter causam aliquam id facimus, cuius deinde alia causa cogitari debet, atque sic in infinitum: facile intelligitur causam primam, h. e. eam dari non posse, qua *absolute* verum aliquid esse constet. — Tertius modus, qui a *relatione* omnium rerum (απο του προς τι) ductus est, totus huc pertinet; quae enim res in se nihil habet, cur vera dicatur, ea non necessario, non absolute vera est; atque si mutaretur id a quo pendet, aliter etiam de ipsa foret statuendum. — Per quartum modum, τον εξ ὑποθεσεως, Dogmatici eo nomine vituperantur, quod, ut initium demonstrandi facere possint, opinionem non comprobatam, ob id solum quod ab omnibus concessa sit, (κατα συγχωρησιν,) pro principio ponant; qui modus ad secundum haud dubie referendus est. Ait enim Sextus, illud primum, a quo demonstrando proficiscantur, non esse praeparatum (ου κατεσκευασμενον) i. e. non munitum causa aliqua, sed αναποδεικτως affirmari, quod supra fuerat reprehensum. — De quinto eadem est res, qui *alternatorius* dicitur, graece διαλληλος [d]), vel ut Dio-

d) P. H. I. c. 14, §. 117. cf. *Stephanus* ad. h. l.

genes Laërtius mavult, ὁ δὶ αλληλων; cui tum locus est, cum aliquis circuli Sophistici vel petitionis principii vitium commisit. Ubi enim id ipsum pro causa adhibitum intelligimus, cui iam causa quaerebatur, neque causae, neque ei rei cuius illa causa constituta fuerat, poterimus assentiri, sed in *dubitandi* (siquidem neutrum absolute verum esse potest secundum 2 et 3.) *vicissitudinem* necessario incidimus.

Ita satis videtur esse perspicuum, per quinque τροπους, quos Diogenes ait ab Agrippa fuisse invectos, si primum excipias, eum dubitandi modum illustrari, qui nobis visus est alterum Scepseos *gradum* non incommode constituere. Neque iam opus est, ut longi simus in duobus illis assensum retinendi modis, quos deinde cap. 16. Sextus enumerat. Quidquid enim comprehendatur, aut, ait, ex se ipso, aut ex alio comprehendi debere; at neutrum fieri posse. In quo facile patet quinque superiorum modorum inesse summam atque compendium. Neque ad id explicandum opus esse putamus primo illo *a dissidentia* ducto modo, quamvis id Sextus ipse significaverit, quem secutus est Alb. Fabricius in nota e), sed secundus της εις απειρον εκπτωσεως f) modus omnino sufficit; ut

---

e) vid. *Fabric.* ed. Sexti p. 44. lit. R.

f) P. H. I. c. 15. §. 166. — cf. *Steph.* not. 63. pag. 210.

omnis haec ratio ad alterum, quem posuimus, Scepticae philosophiae gradum revocetur.

Sed haec de Sexto sufficiant. Ad *Academicam* philosophiam accedamus, quam etsi haud pauci a genere Sceptico ostendere studuerunt prorsus alienam fuisse, in eo tamen Sceptica ratione omnino versata est, quod verum quasi penetrari penitusque cognosci posse negavit. Omnis autem de Academica philosophia quaestio incertior molestiorque fieri videtur vel eo, quod plures Academiae, neque illae inter se vel temporis vel doctrinae diversitate satis distinctae, numerantnr. *g*) Praeterea et ipsi Academici adeo impares sibi fuerunt ac tantopere, si solum Ciceronem audias in Lucullo, a se ipsi dissidentes, ut vix ullam philosophorum sectam magis fluctuasse reperias; habes enim et *Platonem* Academicum, qui in ideis divinis veri fontem esse statuit, et *Arcesilam*, qui ne id quidem se scire dicere ausus est, quod nihil sciret *h*), et *Antiochum*, qui in Academia Stoicorum more philosophatus est, *i*) ho-

---

g) *Cicero* et *Varro* (ap. *Augustinum* de civitate Dei XIX. 1.) *duas* habent Academias, *Sextus* ad minimum *tres*, (cf. *Fabric.* ad Sext. pag. 56, lit. N.) *Numenius* Pythagoreus in primo περι της των Ακαδημαϊκων προς Πλατωνα διαςασεως (ap. *Euseb.* praep. ev. XIV. 4. extr. et 9.) *quinque* enumerat, quartae Philone et Charmida, quintae Antiocho principibus constitutis.

h) Quaest. Acad. L. I. c. 12.

i) De Antiocho *Eusebius*, l. l. c. 9. ita: Φιλωνος δε γινεται ακουςης Αντιοχος· . . . Μνησαρχῳ γουν τῳ Στωικῳ σχολασας . . . μυρια ξενα προσηψε τῃ Ακαδημιᾳ. *Cicero* idem Luculli c. 21 et 43. „Stoicorum ad-

mines plurimum dissentientes, nec tamen non eamdem sibi appellationem vindicantes. Sed cum consilium nostrum non sit, huiusce sectae doctrinam variam examinare, liceat eatenus tantum mentionem eius iniicere, quatenus ad Scepticam, etsi non αἵρεσιν, tamen philosophandi rationem nobis videtur accessisse. De qua cum iam ita sermo nobis sit, ut eam absoluta veri principia negasse ostendamus, ex Academia quidem veteri nihil habemus quod huc referamus, ex recentiori autem, quae ab Arcesila incepit, istud in primis ad secundam Scepseos classem pertinere videtur, quod *probabilia se sequi* k) professi sunt. Etsi enim hoc ipsum Sextus reprehendit, l) ita interpretatus, ut dicat eos argumentis probabilioribus ex rerum, quibus assentiant, natura petitis, et quorum ope aliorum etiam assensum ciere possint, moveri: tamen non solum hoc ad tertium Scepticismi gradum, quem ponimus, pertinet, sed etiam isti probabilibus adhaerendi rationi subest persuasio, nihil esse, quod absolute verum dici queat. Quale si ullibi esset, cum absurdum foret existimare, idem

---

„stipulator Antiochus; . . . erat „quidem, si perpauca mutavisset, „germanissimus Stoicis; . . . dissentit quibusdam in rebus ab iis, „quos amat, Stoicis. placet Stoicis, „peccata esse paria; at hoc Antiocho „vehementissime displicet." E quibus videtur apparere, de pluribus quam tribus, Academiis vix recte posse dici; nos autem hic de ea, quae Ciceroni nova appellatur, i. e. de secunda ac tertia.

k) Cic. Acad IV. 18. (§. 59.)

l) Pyrrh. H. I. 33.

non verum esse posse, de probabili consentaneum non foret loqui, sed maxime certum esset et illud ipsum, et quidquid cum eo cogitando posset coniungi. Neque ab hac ratione discedit, quod *nihil percipi* contenderunt. Male enim Lucullus m) apud Ciceronem eo ipso impediri Academicos ait, quo minus probabilia sequantur, quod vera a falsis ex eorum opinione non distent, sed commune sit utriusque iudicium. Id enim nemo non plane imprudens inter Academicos unquam asseruit; et recte Cicero n) ex sententia Clitomachi Carneadisque docet, aliud esse, rem percipi non posse, aliud, esse probabilem; alia enim probari per sensus, alia per comparationem rerum visarum cum iis, quae crebro simili ratione acciderint: penitus autem perceptas recte non dici nisi eas, in quibus nihil sit tale, quale etiam falsum nihil ab eo differens esse possit. o) Itaque Academici hoc suo probabili eodem fere modo utebantur, quo Sceptici sese κατα την βιωτικην τηρησιν vivere praedicarunt; p) nimirum assentiebant iis, quae sensibus

m) cap. 18. (§. 29.)

n) ibid. c. 31 et 34.

o) En Ciceronis verba, c. 31. (§. 99.) „itaque et *sensibus probanda multa* sunt; teneatur modo illud, non inesse in *his* quidquam „tale, quale non etiam falsum nihil „ab eo differens esse possit."

p) *Sexti* P. H. I. 11. — Βιωτικην τηρησιν recte reddit Fabric. per *observationem eorum quae ad vitam communem spectant*, i. e. eorum ad quae per conditionis humanae necessitatem adigimur, cogimur. Cf. *Steph.* not. 40. — Eodem sensu *Sextus* memorat κριτηρια βιωτικα, adv. Logicos I. § 33; cf. *Platnerus*, Aphor. 11. pag. 417. sq.

occurrebant, sequebantur in vita mores et instituta maiorum, ita tamen, ut de nulla opinione tamquam penitus intellecta et quae aliis recte obtrudi possit, iudicarent, h. e. *ου προκρινοντες κατα πιςιν η απιςιαν*, sed *αδοξαςως*. Verum non omnes Academici recte circa hanc rem versati esse videntur, neque iniuria fortasse Lucullus saepius de perversa eorum ratione conqueritur, multasque nihil aliud cupere ait, quam ut omnia confundant q). Atque si erant qui contenderent *veri inveniendi causa* r) contra omnia dici oportere et pro omnibus, id maxime inconsentaneum erat, totumque abhorret ab illa ratione vere Academica, qua, licet *percipiendi* signum nullum esset, *probandi* tamen species h. e. assentiendi causa satis probabilis, reperiebatur. s) Est autem hoc idem, quod volumus, Academiam mediam et novam ad Scepticum philosophiae genus pertinere, et, absolute verum quidquam esse, quod cognoscatur, negavisse. Neque alia mente Cicero contra Lucullum t) esse quidem multa vera, ait, sed comprehen-

q) cap. 17. (§. 53.)
r) ib. cap. 18. (§. 60.)
s) ib. cap. 34. ex.
t) ib. cap. 38. in. — Notatu dignus locus cap. 34. (§. 110.) „non „enim, (verus, puta, Academicus,) „quemadmodum, si quaesitum ex „eo sit stellarum numerus par an „impar sit: item, si de officio multisque aliis de rebus, . . . nescire „se dicat.“ Persuasum itaque habebant Academici, (ipseque Cicero, quatenus Academico modo philosophatus est,) *assentiendum esse iis, quae doceat ac suggerat ratio sana,* (*der gesunde Menschenverstand,*) in hoc non dissimiles Scepticis. Atque Ciceronis etiam de officiis libri in

di ea et percipi non posse; et quid tandem Sextus ipse? qui primo P. H. capite Academicos ait affirmare, fieri non posse ut verum quid sit percipiatur *u*). Quae omnia qui ad Scepticam philosophandi rationem referre non vult, ostendat, aut de vero absoluto persuasum esse ei, qui sapientis esse dicat, ut probabilia sola sequatur, aut, falsam omnino esse nostram utriusque philosophiae generis distinctionem. *v*).

A recentioribus mutata interdum sunt verba, minus mutata sententia est. Etsi enim non eodem modo, quo antiqui, discrimini inter perceptionem et cognitionem institerunt: tamen vix aliquis Pascalem, Charronem, Montanum, Mothium, Malebranchium, Baylium ipsum aliosque de debilitate rationis humanae omniumque opinionum mutabilitate conquerentes legerit, quin in iis aliquam de vero hu-

---

primis hac persuasione conscripti sunt, et in multis, tamquam principio suo, ea nituntur.

u) Verba Sexti sunt: *αποφαινονται μη δυνατον ειναι, καταληφθηναι το αληθες*. Et alio loco: *ὁι δε απο της νεας Ακαδημιας ακαταληπτα ειναι παντα φασι*. Ceterum de vi verbi *καταλαμβανειν* s. percipere, plura ad tertium Scepticismi gradum.

v) Qui plura de Scepticae philosophiae diversitate doceri cupit, evolvat praeter scriptores laudatos inprimis *Garvium* in versione librorum de officiis, ed. 4. an. 1792. pag. 6; et annotatt. ad lib. secundum pag. 9. — *Stäudlinio*, libri saepius l. vol. I. pag. 307 seq. rursus non possumus assentire. Quas enim vir doctiss. discriminis *notas essentiales* (i. e. *internas*, ut logici aiunt,) esse contendit, eas externas adeoque neutiquam essentiales, sed fortuitas esse, cuivis patebit, qui recte cognoverit. — *Gellius* noct. Attic. L. XI. cap. 5. nihil habet, quod non Cicero ante ipsum melius docuerit.

mana ope detegendo desperationem agnoscat. Neque apertius hoc quisquam testatus esse videtur, quam quicunque rationis inopiae accipiendo revelatae doctrinae beneficio consulendum esse significavit. x) Cum enim multae causae sint, quae efficiant, ut vel philosophus aliquis vel non philosophus rationi soli salutem suam committere dubitet, in maiori, quam humana, auctoritate consilium sibi ac normam certam quaesiturus: illa causa inprimis Scepticum prodere videtur, qua nonnulli non ad mores melius efformandos, neque ad fidem animique tranquillitatem augendam, sed ut veri aliquod criterium exsistat, revelatam doctrinam amplecti suaserunt. In quo nonnumquam eo usque progressi sunt, ut ipsos auctores sacros in iis, quae non divinitus tradita accepissent, iudicium omne dogmaticum cohibuisse docerent. y)

Sed sufficiat ad secundae Scepticismi classis vestigia in recentioribus monstranda unius Mothii testimonium, qui hanc Scepseos suae naturam esse, clarius quam reliqui professus est. Quantopere ille z) praedicat praeclaram Sce-

---

x) Ita inprimis *Malebranchium* atque *Charronem* sensisse, libri: *de la recherche de la vérité* et *des trois vérités* satis loquuntur. Haud minus, puto, constat de Montano, Baylio, aliis. De Baylio quidem cf. inprimis Art. *Manichéens*, not. D. (vol. III. pag. 1906.) et vol. IV. pag. 3001. *Eclaircissement* III.

y) cf. *de la Mothe, dialogue de la diversité des religions*, pag. 294. seq.

z) idem liber. *le banquet Sceptique*, pag. 173—182. „les Princes,

pseos ignorantiam, modestam αφασιαν, divinam εποχην! quam unice veram genuinamque philosophiam appellat! Neque id eo sensu, ut nihil credi, proque vero haberi posse existimet. Abiicit enim Pyrrhonis aliorumque in dubitando intemperantiam, quam [a]) inepta maxime et stulta induxisse ipse fatetur. Negat nulli rei fidem habere philosophum, sed eumdem vult acquiescere in mediocritate naturae humanae, (p. 122. 175.) sensibusque non nisi ita uti, ut iudicio in neutram partem praecipitanter flexo vitam tranquille et sine arrogantia peragat. Habes antiquorum ζην αδοξαςως και αταρακτως! habes non contemnendam de philosophia sententiam [b]), quamquam eam ex veri sensu potius, quam firma ac certa persuasione fluxisse in aprico est. Nec non dolendum, quod vir honestissimus atque doctissimus nimia sua ad dubitan-

„. . . blasment ils nostre modeste „aphasie? condamnent ils nostre re„tenue suspension d'esprit? . . . „faisons donc gloire du non-sçavoir „modeste et ingenu de nostre Secte," etc. cet.

a) l. l. pag. 174. „l'escole de „Pythagore nous a donné ses vains „superstitieux, celle de Platon ses „songes creux ideistes; . . . ce n'est „donc pas merveille, si, n'y ayant „point de corruption plus grande que „des choses les plus parfaites, celle „de Pyrrho nous a produit de mesme „ses extravagans qu'on nous objette, „ou plutost ses fols insensés . . ."

b) „La philosophie n'estant autre „chose que l'art de la vie, et la sci„ence d'en bien user;" — „il y a „si peu d'hommes, qui se servent de „la philosophie selon son vray usage, „et si peu, qui la prennent pour re„mede, et non pour ornement de „leur vie, comme ils devroient faire." pag. 173 et 176.

dum propensione eo usque se abripi passus est, ut, cum de universis naturae legibus quaestio incideret, eas ipsas, an tales essent quales cogitarentur, in dubium vocare haud gravaretur; c) ut liceat intelligere, eum ne Matheseos quidem principiis ita fidem habuisse, ut ea absolute vera existimaverit. Sed haec iam ita comparata sunt, ut ad tertium, quod ponere in animo est, Scepseos genus aperta via ducant; quapropter de hoc iam accuratius videamus.

Capvt VI.

De tertio Scepticismi gradu.

Quemadmodum secundo Scepseos gradu supra monuimus causam primi proximam contineri, ita secundi tertio. Inceptum erat pugnantia secum decreta philosophorum conferre; quaerebatur cur semper pugnassent? quia non datur, aiebant, veri criterium absolutum. Verum nec hoc vel dictitasse, vel exemplis quoquo modo illustrasse sufficere poterat. Amplius enim quaerebatur, cur non de absolute vero aliquid pronuntiare liceret? esse certe iudicia communia omnibus, esse multas sen-

---

c) l. l. pag. 114 seqq.

tentias ita ab unoquoque proferendas, ut contrarium affirmare absurdum foret. Exstare Matheseos illustre exemplum, vulgata esse principia Logices, quibuscum si quis non ita sentire vellet, ut in iis tamquam absolute veris niteretur, insanum illum sibique ipsi inconstantem ab omnibus iri iudicatum. Satis igitur clare apparere, inanem esse Scepticismi rationem, qua absolute verum quidquam esse neget, et cum oculorum mentisque ipsius testimoniis pugnantem.

Quae quo magis cum speciose tum vere contra Scepticae philosophiae causas disputabantur, eo gravius eius patroni commoveri eoque magis excitari debebant, ut rem suam argumentis probabilioribus tuerentur. Atque ex eo natus est tertius Scepticismi gradus, quo, *veri* natura altius inspecta, in *obiecto* positum esse contendebatur, ut, licet *persuasio* haud raro firmissima esset et quae everti eripique ex animo non posset, tamen pro *vero* id, de quo aliquis ita sentiret ut aliter non posset, propterea quod non posset, neutiquam esset habendum. Posito igitur inter *subiective verum* (seu id de quo quis haberet persuasum,) et *obiective verum*, (h. e. quod in re ipsa, non habita ratione cogitantis naturae ac percipientis, vere inesset,) discrimine numquam negligendo, *facile Sceptici largiebantur*, *quidquid vel Mathesis vel Logica vel Physica de rebus earumque nexu praeciperet*, adiecta tantum admonitione, *ne quis*, *quod subiective*

verum esset (i. e. de quo non persuasus esse non posset,) *statim pro obiective vero* (i. e. pro cognita penitusque perspecta rei natura) *haberet*. *Illud accessu non nimis difficile esse, ab hoc mortales oculos, mortale acumen semper arceri.*

Quae Scepsin muniendi ratio etsi in recentioribus clarior est pluribusque vestigiis manifestior: ab antiquis tamen non ita abfuit, ut eam plane ignorasse putandi sint. Licet enim in Pyrrhone aut Timone ipsoque Aenesidemo frustra eam quaeras: Sextus tamen eam haud dubie secutus fuisse reperitur. De qua re Pyrrh. Hypot. libri primi caput septimum satis clare loquitur. Ita enim Sextus Dogmaticum sentiendi modum a suo ait differre: *δογμα εςι ἡ τινι πραγματι των κατα τας επιςημας ζητουμενων αδηλων συγκαταθεσις*, et addit: *ουδενι των αδηλων συγκατατιθεται ὁ Πυῤῥωνειος*. Quae *αδηλα* qualia sint, ex iis, quae capite IV. et V. de Scepticismo disputavimus, apte satis explicari non potest. Quae enim alias *αντικειμενα και μαχομενα* appellata fuerant, ea ad quaslibet de rerum natura opiniones pertinebant, neque propter aliam causam incomprehensibilia videbantur, quam quod *certae* circa ea *persuasioni* non esset locus. Ex quo genere cum *τα φαινομενα* aeque essent ac *τα νοουμενα* d), si haec omnia deberent *αδηλα* appellari, h e.

---

d) i. e. quae sensibus, et quae solo animo percipiuntur; nos *äufsere* und *innere Erscheinungen* appellamus. Non enim antiqui ea sola *νοουμενα*.

eiusmodi, quibus Scepticus assensum praebere non posset: ipse secum Sextus pugnaret, qui saepius, sese iis quae sensibus percipiantur, quatenus appareant, omnino assentire affirmaverat. Itaque protinus indaganda est *των αδηλων* natura. Cicero Acad. L. IV, cap. 17, (§. 54.) vertit *incerta*, minus quidem bene illo loco, quod ea cum *αδιαφοροις* videtur confundere, quae idem valent quod *ισοσθενη*, h. e. in quibus paria sint ad assentiendum et dissentiendum momenta. Rectius capite 34, (§. 110): „Itaque non metuit, ne confundere omnia videatur, et *incerta* „reddere; . . . in *incertis* enim (adde *solis*,) nihil est probabile: in quibus autem est, in his non deerit sapienti, „nec quid faciat, nec quid respondeat." Iam quidquid Cicero sub hac voce *incerti*, dum prima vice ea uteretur, intellexerit: (*αδιαφορα* eum intellexisse, colligo ex nexu sententiarum:) altera vice per incerta *τα αδηλα* Graecorum vere expressa esse persuasum est, scilicet ea, quae, cum ad sensus non pertinerent neque assensum ipsa visi (*φαντασιας*) necessitate cogerent, solis philosophorum in scholis contentionibus relinquenda essent. Quae autem sunt

---

dixerunt, quae nullo sensu, ne interno quidem, (sed sola *ratione*) cognoscerentur; qualia nos dicimus *Dinge an sich*, (de quibus posthac:) sed quidquid non sensu externo percipiebatur, id erat *νοουμενον*. Quodsi Sextus *τα οντως οντα* sola pro Noumenis habuisset, non potuisset scribere ex. gr. P. H. I, 4: *μη ζητουμεν, πως φαινεται τα φαινομενα, η πως νοειται τα νοουμενα, αλλ' ἁπλως ταυτα λαμβανομεν.*

ista sensum omnem effugientia? Nimirum ea quae nos *obiecta methaphysica* vel Noumena sensu strictiori appellamus, ea quae, non habita ratione perceptionum sensibilium ac legum cogitandi empiricarum, ipsam rerum naturam ab omni vi intellectus liberam constituere putantur. e) Neque aliter ipse Sextus τα αδηλα explicavit. Dogmaticum enim ait (eod. cap.) ὡς ὑπαρχον τιθεναι το πραγμα εκεινο ὁ λεγεται δογματιζειν. Et clarius, si fieri potest, Lib. II. cap. 1. Quo loco ut ostendat, vanam esse eorum obiectionem, qui Scepticum de iis, quae non comprehendat, nec verba facere posse contendant: quaerit, quid putent isti esse: *comprehendere:* utrum sit *intelligere* simpliciter, (νοειν ἁπλως) nulla affirmatione adiecta (ανευ του διαβεβαιουσθαι) de vera et *obiectiva* rerum natura, (ὑπερ της ὑπαρξεως εκεινων), an ita intelligere, ut simul ponas, ea, quae non possis non cogitare, re vera talia, qualia cogitas, esse. f) Deinde L. III. cap. 25. §. 242. Stoicos taxat, *visum comprehensibile* illud dicentes, quod *a re vere exsistente natum* sit atque effictum, (φαντασιαν την απο ὑπαρχοντος γενομενην,) et *adversus Logicos* II. §. 86. eiusmodi visum ait a Stoicis male

---

e) Haec sunt famosa illa inter nos: *die Dinge an sich.* Quibus si quis non credat multam fidem, etiam a philosophis nostratibus haberi, evolvat inter alia: *Lehrbuch der Metaphysik von L. H. Jacob,* ed. 4. Metaph. §. 593 et 596.

f) Ita haud pauci etiamnum concludunt; quasi via detur scientiae humanae a necessitate logica ad exsistentiam rei (sensu metaphysico) realem.

explicari ex eo quod exsistat, quoniam id aeque ignotum sit, (επισης οντος αγνωϛου), neque adeo dici posse, visum comprehensibile esse *effictum ex re*, ita ut cum ea ipsa congruat, (απο ὑπαρχοντος κατα αυτο το ὑπαρχον.) Simili enim ratione *Cicero g)* secundum Zenonem φαντασιαν explicaverat, „visum impressum effictumque ex eo unde esset, quale esse non posset ex eo, unde non esset.“ Quae omnia si Sexto non probabantur, causa haec erat, quod male putabat colligi ex eo, quod adsit visum, adsit persuasio ad assensum nos rapiens et cogens, *exsistere* etiam *causam* istius vel visi, vel persuasionis *in re cogitata vel conspecta ipsa*, *effecto parem*. Tantum enim abest, ut negaverit Sextus, eiusmodi rem, visi causam, esse posse, ut potius ad efficiendum, ut persuasio *obiective vera* esset, eius cognitionem maxime necessariam existimaret. At vero illud εκτος ὑποκειμενον τῳ φαινομενῳ *h)* cognosci numquam poterat. Quo fiebat, ut, si vel maxime firma esset animi de rebus *persuasio*, ex eo tamen, *verum esse repertum*, numquam posset vel colligi vel demonstrari.

Quod cum probe Sextus intellexisset, satis sibi ab ista Dogmaticorum in iudicando προπετεια temperavit.

---

g) Academ. L. IV. c. 6. §. 10. Quae hic occurrit φαντασιας definitio in vernaculam linguam sic vertenda videtur: *eine von ihrem jedesmaligen Gegenstande bewirkte Erscheinung, welche unmöglich ihre bestimmte Individualität haben könnte, wenn sie nicht genau so hervorgebracht wäre.*

h) Pyrrh. Hyp. I, §. 61.

Ceterum minus consentaneum erat, magisque Academiae proprium quam Scepsi, quod intellectis istis in quaerendo vero perseverabat. Nihil enim Scepticis, si ad verum in obiecto reconditum perveniri non poterat, relictum erat, quam ut visa sola i. e. ex sensibus perceptiones, sequerentur, et ad vitae genus eiusmodi se converterent, in quo praeter istam fidem sensibus habitam (veritatem subiectivam et empiricam) nulla re esset opus. i) At Sextus et ab initio Hypotyposeon, et pluribus locis *τουτο*, ait, (puto *το αληθες η το ὑπαρχον*,) *ετι ζητουμεν*; eoque ipso vult suam rationem ab Academica distinguere, quod illa scire se putet, nihil ut verum cognosci, ipse cum suis nihil audeat definire. In quo profecto immemor sui k) ad antiquissimam Scepsin, diu superatam, imprudens relapsus est. Quid enim? Si accepta veri definitione, qua in convenientia cogitationum cum rebus positum esse affirmamus, negamus id umquam vel esse repertum vel repertum iri: quid iuvat id quaerere, quod in omne tempus amissum est? non amissum, sed reconditum? non reconditum, sed natura sua ab omni indagatione alienum? Ergo abstinendum fuisset Scepticis, hunc institutionis suae gradum tenentibus, ab omni quaestione circa

---

i) Hoc sensu *Cicero*, Quaest. Tuscul. V. §. 33. his fere verbis: *Nos ita vivimus, ut, quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicamus, itaque soli sumus liberi.*

k) Cf. quae diximus supra pag.

verum ultra sensuum testimonia positum, acquiescendum autem in eo, quod εναργες appellabant; nihil enim εναργεια, seu evidentia (per sensus) ipsa clarius illis videri poterat, ut recte Lucullus. *l*)

Sed propositum fuit ostendere, eam esse Scepseos naturam, ut ab antiqua ratione ad hanc, de qua nunc agitur, causam της εποχης necessario perveniret. Quod cum de Sexto satis videatur constare, age de recentioribus, an pares in ea re Sexto fuerint, paucis videamus. In quibus etsi illud non probare non possumus, quod nullus fuit (quantum nobis quidem intelligere contigit,) qui quaerendum verum vel tum esse contenderet, cum natura sua in obiecto inaccesso et impenetrabili latere perspexisset: pauci tamen fuere, qui causam suam satis bene atque ita agerent, uti ab aetatis maturioris ratione poterat exspectari. Alii enim, ut *Montaigne* *m*), sensu se duci passi sunt, cum explicare istum sensum et notionibus claris atque distinctis illustrare debuissent. Alii, ut *la Mothe* *n*), ambiguitate iudicandi nescio qua, philosophum certe minime decente, contenti, acquiescentes in sensu communi, cuius ratio et norma a philosophia expetenda erat, Sexti vix attigerunt acumen. Rur-

---

l) Acad. IV, c. 6. §. 17. Omnino opposita sibi erant το αδηλον et το εναργες.

m) Totus liber (*Essais de M.*) describendus foret, est enim constans hic illius character.

n) Vid. loci supra adlati.

sus alii, etsi, quemadmodum *Charron* o) in cohibendis opinionibus ea ratione utebantur, ut verum dicerent naturam finitam intrare locumque in ea tenere non posse: tamen non assidue satis circa eam rem sunt versati, sed nominasse idoneum putavere. Relictis igitur iis, qui minus momenti in causa nostra habere videntur, statim ad *Humium* accedamus, in omni Scepsi, qualis hucusque fuit, facile principem. Hunc enim tantum abest, ut veram Scepsin non nisi singulis, uti uniuscuiusque ingenium ferat, propriam esse posse putaverit, ut potius, de sua sententia ipse certo persuasus, eamdem quibusvis aliis, patientem modo commodarent aurem, explicando persuadere se posse confideret: secutus in eo universam legem humanitatis, qua, de quo vere persuasum habeas, id censeas ab omnibus, modo recte perspexerint, iri probatum.

Universa autem Humii philosophandi ratio eo nitebatur tamquam fundamento, ut se ignorare fateretur, an aliquid positum esset extra cogitationes nostras, quo veluti moderamine ita dirigi possent et ad veri cognitionem conformari, ut, dum eas in agendo sequeremur, ab errore tuti maneremus. Istud ille vinculum utriusque mundi, (subiectivi et obiectivi) istum omnis veritatis causam primam

---

o) *Charron de la sagesse*, inpr. L. I. et II. Ex aequo videntur explicanda esse, quae isti viri scripserunt, neque existimandi *per iocum* (cf. *Stäudlin*. G. u. G. d. Sk. II. p. 35.) de re maxime seria esse locuti.

atque realem, donec aliquis ipsi ostenderet, sese aiebat intelligere non posse, sed *usui* et *consuetudini* tribuendam esse communem hominum persuasionem, quod scilicet cogitata cum rebus congruerent i. e. *vera* essent. Cuius *fidei experientiae habitae* cum fundamentum certum nullibi exsisteret, non solum aiebat fieri ut, quoties ex usu et ex ordine perceptionum hucusque observato imprudenter aliquid colligeremus, falleremur, sed intelligi etiam, vanum esse quodvis conamen, quo causam firmae persuasionis ex ipsius obiecti natura explicare auderemus. Temere igitur quidquid affirmari, si rei naturam persuasione tua te retulisse et expressisse existimes.

Quam viri clarissimi sententiam fuisse, haud difficile erit ex iis, quae scripta reliquit, demonstrare. Etsi enim, ut solent Sceptici, non ubique eadem sententiam suam exponendi eiusque causas explicandi ratione usus, nonnumquam ea scripsit, quae vel antiquissimam Pyrrhonis, ne dicam Sophistarum, disciplinam oleant *p*), vel ad alte-

p) *Essays and treatises on several subjects*, by *David Hume* Esq. Basil. 1793. 4 vol. 8. Vol. IV, pag. 206. in nota: „It seems evident, „that the dispute between the Sceptics „and Dogmatists is entirely verbal, „or at least regards only the degrees „of doubt and assurance, which we „ought to indulge with regard to all „reasoning; . . . the only difference „then is, that the Sceptic, from ha„bit, caprice or inclination, insists „most on the difficulties; the Dogma„tist, for like reasons, on the neces„sity." Haec non possunt cum aliis quae idem vir de Sceptica philosophia scripsit, coniungi, nisi sumas eum, dum haec scripserit, ipsius suae

ram modo Scepseos classem possint revocari: *q*) tamen in aliis locis eum Scepseos characterem, quem nos tertium nuncupavimus, tam clare expressit, ut eo minus in illis philosophi quasi deverticulis commorandum videatur, quo apertius alibi, sese philosophiae suae rationem penitius cognovisse, docuerit. In illo enim de Sceptica sive Academica philosophia tractatu *r*) exorsus ab explicatione eius persuasionis, quam *sensum communem* solemus appel-

---

philosophiae non satis fuisse memorem. Pag. 162. verba: „All religious systems, on the whole, prepare a complete triumph for the „Sceptic; who tells us, that no system ought ever to be embraced with „regard to such subjects. *A total „suspense of judgment* is here our only reasonable resource." — ista verba, inquam, de theologia rationali sola sunt accipienda, quae omnium sane facillime poterat dubia de verum videndi facultate excitare.

q) Huc refero volum. III. sect. 4. *Sceptical doubts* inscriptam. Etsi enim pag. 30. ita loquitur, ut tertium Scepticismi gradum innuisse videatur: („But as to the causes of „those general causes, (observed in „natural productions and operations,) „we should in vain attempt their „discovery . . . These ultimate „springs and principles are totally „shut up from human curiosity and „inquiry.") — tamen deinde, pag. 34. seq. eiusmodi argumentis utitur, quae aeque commode ad alterum Scepseos gradum, quo universe veram ac necessariam persuasionem esse negabatur, ac ad tertium possint referri. En haec: „Does it follow, „that other bread must also nourish „me at another time? The consequence seems nowise necessary. At „least it must be aknowledged, that „there is here a consequence drawn „by the mind; there is a certain „step taken; a procefs of thought, „and an inference, which wants to „be explained. — There is required „a *medium*, which may enable the „mind to draw such an inference. „— *What that Medium is,* I must „confefs, *passes my comprehension.*"

r) Vol. III, sect. 12. *of the Academical or Sceptical philosophy.*

lare, ita hunc comparatum esse recte ostendit, ut, quidquid de re aliqua statueremus, id ideo verum putaremus, quod in re ipsa extra mentem posita, ita uti conceptum fuisset, vere inesset. s) Cui persuasioni, quam naturae ipsi debemus, etsi Humius, haud immemor conditionis humanae, ita adhaeret, ut nulla vi ab ea sese avelli patiatur: t) tamen philosophiae ope eam confirmari non posse ingenue fatetur. u) Quemadmodum igitur alio lo-

s) Pag. 169. „We always suppose, „*carried by a natural instinct or pre-* „*possession*, an external universe, „which depends not on our percep- „tion, and would exist, though we „and every sensible creature were „absent or annihilated."

t) Hoc patet ex variis locis, inpr. vol. I. ess. 18: *the Sceptic*, ubi, cum cetera omnia a relatione pendere, neque ex se certa esse contendisset, verum et falsum ipsum excipiendum esse fatetur. cf. pag. 176: „In the „operation of reasoning the mind does „nothing, but run over its objects, „as they are supposed to stand in „reality. — Truth and falshood are „not variable by the various appre- „hensions of mankind. Thoug all „human race should for ever con- „clude, that the sun moves, and „the earth remains at rest, the sun „stirs not an inch from his place „for all these reasonings; and such „conclusions are eternally false and „erroneous." — Cff. quae passim occurrunt in dialogis ad relig. natur. pertinentibus, vol. IV. p. 101 seq. 120 seq.

u) Vol. III. pag. 169 sq. „But „this universal and primary opinion „of all men (vid. not. *f*.) is soon „destroyed by the slightest philoso- „phy, which teaches us, that no- „thing can ever be present to the „mind, but an image or percep- „tion, and that the senses are only „the inlets, through which these „images are conveyed, without being „able to produce any immediate in- „tercourse between the mind and „the object. — Here philosophy „finds herself extremely embarras- „sed, when she would justify her „new system, and obviate the ca- „vils and objections of the Sceptics. „— By what argument can it be pro- „ved, that the perceptions of the „mind must be caused by external „objects, entirely different from

co *v*) examinatis pluribus argumentis ex philosophia contra malum terrestre petitis, inanem esse metaphysicam omnem de re non sensibili quaestionem, monstraverat: ita iam in universum de rebus, quatenus sensibus contingi nequeunt, h. e. *obiective*, certi nihil doceri posse affirmat. Quid enim est, ait, notionem habere obiecti? est vidisse oculis, tetigisse manibus, auribus percepisse. At quale istud obiectum? quod nihil est quam *imago*, effecta per vim aliquam prorsus ignotam *x*) cuius cum obiecto ipso convenientiam nullo sensuum usu, nullo experientiae auxilio demonstrare valemus. Atqui experientia sola posset, convenire rem cum cogitatione, docere. *y*) Ergo nihil est, quo umquam

„them, though resembling them, (if „that be possible;) and could not „arise either from the energy of „the mind itself, or from the suggestion of some invisible and unknown spirit, or from some other „cause still more unknown to us?"

v) Vol. I, ess. 18. pag. 186 et 188 sqq.

x) Vol. III, p. 173. „Bereave matter of all its intelligible qualities, „both primary and secondary, you „in a manner annihilate it, and leave „only *a certain unknown, inexplicable something, as the cause of our perceptions;* a notion so imperfect, that no Sceptic will think it „worth while to contend against it." Esse hoc *Kantio* sic dictum *obiectum transcendentale*, quis est quin videat? cf. nota ad pag. 14. huius libelli.

y) pag. 171. „How shall this „question (vid. not. u.) be determined? By experience surely; as all „other questions of a like nature." Quod ne cui mirum videatur, qui possit in experientia quaeri, quod omnem experientiam excedat: meminerit, Humium persuasum habere, cum ne experientia quidem satis muniri ope philosophiae possit, multo minus relictum esse aliud experientia maius, ex quo illa demonstretur. Atque etiam haec cognitio eminentior per experientiam (internam puta) foret comparanda.

expediamur; ac reiicienda plane illa philosophia, quae, verum esse, ex eo probasse se gloriatur, quod cum ideis res debeant necessario convenire. Ponitur id quidem et creditur; sed philosophiae foret, demonstrare. Quod cum non possit, nulla est philosophia demonstrans sive Dogmatica.

Consulendum est brevitati. Quamobrem licet multorum circa rem nostram testimonia conferre possimus, sufficere tamen debebit, aliquorum iniecisse mentionem. Quorum in numero virum Ill. *Platnerum* ob eam causam ponendum putamus, quod saepius et significavit et clarius elocutus est, z) Sceptici non esse, ut addubitet sensibus obversantia vel quae secundum sensum communem iudicentur, sed contra metaphysicam tantum veri detegendi artem eum pugnare a), neque approbare eos posse, qui persuasione sua, quantumvis firma et veri speciem habente, pro veri (obiectivi) criterio utantur b). Esse quidem, ait, criteria haud ambigua eius, quod verum dicamus sensu *subiectivo*, h. e. de quo non possimus non esse persuasi c); at veri sensu stricto criterium nullum esse. Hactenus eadem est Platneri cum Humio ratio. Alia non contigit aeque consentaneo mo-

z) Philos. Aphorism. P. I. §. 707 et 708.

a) Ibid. §. 705. extr. P. II, §. 714.

b) P. I, §. 708. extr. Cf. etiam praefationis ad P. I. pag. 6 et 11.

c) Huiusmodi ea sunt, quae P. I, §. 671-677. continentur.

do explicare, ut quae de Scepticismi subiectivi nec ullis principiis innitente d) monentur, deinde quae legimus: „Scepticum respectu ad mores ac vitae disciplinam rationem suam argumentis defendere *nolle*;" e) quod ut omnino velit, profecto non intelligimus quomodo ab homine sincero et ex persuasione sua fortiter agente possit abesse. Illud autem recte habet, quod Sceptica morum doctrina non pendet ab eventu subtilium disputationum f), licet ex notionibus solis eam prodire, concedere nolim. Satis igitur istis locis videtur esse significatum, quod ipsa fert omnis Scepticismi natura, videlicet abstinendum esse ab inani extrema quaerendi studio, et in eo, quod cogitationis natura de rebus in facto positis affirmare nos cogat, bona fide acquiescendum.

Atque in eodem ii quoque consentiunt, qui Kantii cell. doctrinam Sceptico modo impugnarunt, *Schulzium* g) inprimis nominare liceat, deinde *Creuzerum* h). Quos am-

---

d) Part. I, pag. 360 et 362.

e) Part. II, pag. 416: „Der Skeptiker *will* sich in dem moralischen „Leben nicht behaupten; weil er in „diesem, ganz so wie in dem physischen, der subjektiven Vorstellungsart folgt."

f) P. II, §. 715.

g) Auctorem libri: *Anesidemus*, Helmst. 1792. Magis et acute et perspicue de philosophia Sceptica aeque ac Dogmatica idem vir disputavit in libro egregio, nuper edito: *Kritik der theoret. Philosophie*, 2 voll. 8.

h) Titulus libri est: *Skeptische Betrachtungen über die Freiheit des Willens.* Cf. pag. 65, inpr. 76-82.

bo fides rationi, reconditam vel rerum vel sui ipsius naturam interpretaturae, negata eo duxisse videtur, ut in iis acquiescere suaderent, ad quae natura ipsa ingenium humanum appellat, illa, quae ultra sensuum limites posita sunt, non tanti aestimare. i) Omnino autem aetatis nostrae ratio ita tulisse videtur, ut haud pauci philosophiam suam, nimirum qua scire se multa contenderent, fide aliqua naturae habita terminarent. Quin plures ex iis, qui secundum critica Kantii principia philosophati sunt, in ista fiducia substitere k). Si enim ex iis quaeris, qua lege perceptiones cum rebus, quae istarum causae putantur, consentiant, eam se ignorare omnes fatebuntur. Quamobrem maxime ingenue viri magni a-

i) Vehementer laetatus sum, cum in legendo libro Schulziano modo laudato, (non autem contigit prius legere, quam haec scriberetur commentatio,) in plerisque ad Scepticismum pertinentibus me cum auctore ill. omnino sentire, reperirem. Etsi enim vir acutissimus Scepticae philosophiae nimium favere videtur eo, quod in ea sola contra omnem scientiae arrogantiam refugium tutum inveniri posse existimat: tamen, quae de Scepticismo ad philosophiae Dogmaticae argumenta semper comparato, (vol. I, pag. 595,) de eius principiis universe ponendis, (p. 601.) de entibus metaphysicis omnino inanibus (p. 727,) et similia leguntur, verum Scepseos characterem haud dubie produnt. Cf. item, quae de αδηλοις monentur, p. 606 seq., ac de omni cognitione obiectiva omnique vera, pag. 590 seq., 604, alibi.

k) Cff. *Schmids Wörterbuch zum leichtern Gebrauch der Kantischen Schriften*, ed. I. art. *Erfahrung*, not. (ab edit. tertia haec nota abest.) — *Creuzeri* l. l. pag. 106. 108. 110.

cuminis *Creuzerus l*), et *Heydenreichius m*) in hac re omnino opus esse fide, et a fide ordiendum, professi sunt. Et erat haud dubia magistri auctoritas, qua omnes, qui critici nunc dicuntur philosophi, istud confirmarent. Etsi enim Kantius, dum leges, rationi cognoscenti necessario praescriptas exponit, suppeditante eas et ultro offerente conscientia ipsa, neutiquam opus habet ut ad fidem, quae rebus neque ex se neque per vim ratiocinii certis unice debetur, refugiat: tamen idem, ubi de obiectis quaeritur, per istas animi cognoscentis leges *vere* expressis, nihil se habere fatetur praeter sensuum testimonia et naturae aliquam necessitatem, qua ea, quae rite cogitata ad temporis spatiique modum pertineant, extra animum extraque sensum conveniens obiectum habere confidat. At illud ipsum obiectum natura sua ignotum esse ait neque ulli scientiae umquam obversaturum *n*).

---

l) l. l. „*Bedürfniſs* kann es allein „seyn, was uns drängt und berechtiget, die Realität einer auſser uns „gegründeten Sinnenwelt anzunehmen. — Es bleibt auch für sie nur „*Glaube* übrig, der aber nicht, wie „der Humische, auf bloſses Gefühl „sich gründet.“

m) *Betrachtungen über die Philosophie der natürlichen Religion*, Th. I, p. 213-227. „In wiefern das Fürwahrhalten gewisser Erkenntnisse, „(des eignen Daseyns, des Daseyns „der Aussenwelt u. a.) nicht von Einsicht der Gründe abhängt, sondern „bloſse unmittelbare, angeborne Zuversicht des Subjectes auf sich selbst „und die Natur ist, so nenne ich es „*Naturglauben*. Alles übrige Erkennen, Begreifen und Demonstriren „beruht auf diesem Naturglauben, „und kann ohne ihn nicht Statt „finden.“

n) Cf. quae passim in libro: *Kri-*

Ex quibus etsi nulla ratione conabimur efficere, ut Kantius inter Scepticae philosophiae patronos referri debeat o): in eo tamen recta ratio ipsa eum a stabiliendo super rebus decreto avocavit, quod *scientiae non esse* intellexerat, ut de obiecti cum cognitione congruentia dogmatice quidquam poneretur. Quo factum est, ut *veram* esse (sensu strictiori,) cognitionem humanam, omnino *demonstrare* non posset. p).

tik der reinen Vernunft, ed. II. praefat. pag. 39 seq. in nota; deinde pag. 157 seq. tum ubi de phaenomenorum noumenorumque discrimine agit. Cf, etiam *Logices* pag. 110 et 103, not.

o) Huic opinioni per totam viri summi philosophiam satis cavetur; ea autem, quae de Scepticismo ipso monet, non eiusmodi sunt, quae omnino approbare possimus. cf. *über eine Entdeckung*, pag. 78. — *Logik*, p. 35. 114. 132. — *Kritik der pr. V*. pag. 89.

p) Hoc volo, ex Kantii philosophia critica doceri non posse, cognitionibus nostris *a priori*, ad obiectum necessario referendis, eiusmodi obiectum *a priori* respondere. Atque tamen eo opus esse videtur, postquam animo humano, seorsim a rebus externis considerato, quidquam propria vi inesse positum est. Ceterum neutiquam probamus eam philosophiam, quae hodie, omnem realitatem ex intelligentia pura explicando, philosophiam criticam a se perfectam esse gloriatur; etenim *sic* non erat perficienda Kantii philosophia.

Caput VII.

Quaeritur, quo ducere Scepsis videatur.

Perducta iam inde a remotissima vetustate ad nostra tempora Sceptica philosophandi ratione, superest ut sub finem libelli denuo, qua nota prae reliquis scholis insignis sit atque inprimis a dogmatica philosophia distet, accurate videamus. Enimvero tam ex historia quam ex ipsa illius philosophiae natura constare putamus, principem atque summum totius Scepseos characterem hunc esse, ut, *quod in cognitione humana reale sit, id sciri non posse* contendat. Quo charactere Scepsin aeque ab iis scholis, quae vulgo Dogmaticae nuncupantur, atque a Critica huius temporis philosophia secerni, in aprico est. Cum enim reliquae, quatenus de rerum causis ultra experientiae fines quaerendis agitur, multa habeant, quibus, quae sit *του οντως οντος* natura, demonstrent: Critica philosophia, etsi hoc arduum mortalibus esse docet, tamen mentis ipsius naturam et ambitum ita se perspexisse emensamque esse ait, ut partim quid valeat cognoscere, quid non, accurate describere, partim de summo bono ac de honesto ita praecipere ipsi licuerit, ut quale

illud *re vera* sit, non clare tantum, sed quam maxime certe intelligatur. Quae quidem omnia a Scepticorum ratione longe recedunt. Quibus quum ab initio satis fuisset comparandis sibique in vicem opponendis philosophorum de rerum causis opinionibus, *ad certam sese persuasionem pervenire non posse*, declarasse; tum exculta magis ea, contra quam pugnaverant, philosophia, quum multa ita constarent, ut a nemine sano umquam negarentur, frustra per aliquod tempus restiterunt, *universe tamen nihil nisi temere affirmari*, contendentes; donec in id quoque concedere coactis nihil praeter hoc relictum fuit, ut posito seu accepto potius discrimine inter id *quod verum esset*, et illud *de quo quis persuasus*, persuasionem quidem facile cuilibet darent et explicari posse, et legibus cogitandi percipiendique experientia cognitis recte muniri, at veri inscientiam aeternum contra omnem in demonstrando temeritatem praesidium sibi vindicarent. Quippe *nequit*, aiunt, *doceri esse aliquid extra animum*, *quod per cognoscendi percipiendique leges vere exprimatur;* in cuius cum ideis convenientia cum omnis cognitionis realitas unice cernatur *q*) *utrum illa et quatenus realis sit*, *nequit sciri.*

---

q) Nimirum hoc unum est, quo vincit Scepticus, ut ei concedatur, *cognitionis realitatem non nisi cognita ipsa cogitationis cum obiecto convenientia esse certam*, Atque hoc etiamnum a plerisque eorum, qui non sunt Sceptici, contendi videmus. At subest ipsi Kantii doctrinae aliquid, parum adhuc intellectum, ex quo, *cognitionis realitatem sine omni*

Est autem haec non historica tantum, et quae ad certum duntaxat tempus pertineat, Scepticae institutionis descriptio, sed universa et omni tempori omnique scholarum vicissitudini communis. Quemadmodum enim, nisi Dogmatici praepropere multa posuissent, numquam iustae dubitationi locus exstitisset: ita hanc Scepticismo metam natura posuit, ut nisi contra Dogmaticorum intemperantiam, nihil omnino efficere valeret. Teneat igitur, ubiubi appareat, unum iniurias Dogmaticorum a philosophia propellendi officium, sitque ei munus, quod dicitur, *negativum*. Loquimur autem de eo, quod a philosophis possit affirmari. In vita enim tantum abest, ut nihil habeat Scepticus, quo duce tutus incedat, ut potius sensus et quam sanam mentem dicunt, haud secius feliciusve quam omnes scientiae iactatores sequatur; at non eadem sana mens, non iidem sensus duces manent ei, qui communi vitae fide relicta ausus est ad philosophiam adspirare. Ecce enim conditionem humanam. Nacti sumus omnes eamdem persuasionis legem, quam cum mentem *sanam* appellamus, salvos eo duce nos esse significamus. Hanc ut quisque firmiter teneat et assidue in dies excolat, humanitatis officium est; ut defendat eam, eiusque

---

demonstratione metaphysica certissimam sisti posse, doceatur. In hoc iam ultimum Scepticismo remedium quaerendum est.

causas investiget, philosophiae *r*). Neque aliud quam hoc, si recte video, Sceptici, quotquot ex animi sententia philosophati sunt, effecere; adeoque a vera philosophia hac lege numquam non maxime debebunt probari. At cum contra Dogmaticos omnes, quales hucusque fuere, pugnarent, factum est, ut haud raro, dummodo recte negassent, omnem philosophiam se explevisse arbitrarentur. At enim vero per hoc solum parum effici, luce clarius patet. Munienda est armis sana ratio, non telis tantum terrendi hostes, non aculeis lacessendi. Neque hoc non probe senserunt, quicunque in Sceptica institutione eminuerunt. Tam enim in *Sexto* occurrunt, quae huc non obscure referantur *s*), quam in *Humii* aliorumque scriptis maxime perspicue dictum est, homini opem ferri a philosophia posse, modo ad eam se recte velit accommodare. At vero ad hoc non sufficere, ut multa didiceris, vel in cuiuscunque scholae philosophemata iures. Animum esse convertendum, omninoque aliam et

---

r) Quatenus in scientia versatur philosophia, de eius fine profecto ita est statuendum. Nam tempus est ut desinat Idealismus pro arbitrio finem sibi ponere, atque ad alia omnia, quam ad veram sapientiam, humanum genus perducere.

s) Ex. gr. quod saepius ait, *ὅτι ουκ ανενεργητοι ειναι δυναμεθα*, et alia.

t) Vid. *Humii* vol. I. sect. 18. p. 183 sq. P. 185. haec habet: „Where „one is thoroughly convinced, that „the virtuous course of life is prefe„rable; if he have but resolution „enough, for some time, to impose „a violence on himself: his reforma„tion needs not be despaired of The „misfortune is, that *this conviction* „*and this resolution never can have* „*place, unleſs a man be before-hand* „*tolerably virtuous.*"

de humana conditione et de philosophiae usu persuasionem sedulo efficiendam, ut in hac re gravissima non nihil proficias.

Non erat Sceptici, explicare, in quanam re ista animi ad rectiora conversio atque conformatio consisteret: ipsaque Scepseos fortuna factum esse putaverim, ut, antequam nova aliqua dogmatice philosophandi ratio doceretur, illud philosophiae genus, et antiquitate clarissimum et ob moderationem suam colendum, ad perfectionis, quam poterat attingere, gradum quam proxime accederet. Quem etsi nullus eorum, qui adhuc innotuerunt, omnino assecutus esse videtur, propter immixta hic illic argumenta leviora ex priori Scepseos specie petita: tamen honoris causa liceat nominare virum doctrina, ingenio verique amore insignem, *Fridericum Henricum Iacobi.* *u*) Qui vir, cuius vix adhuc contigit omnem animum omnemque sententiae ambitum explicare, inter Scepsin perfectam ac veram philosophiam, quae humanitatis medela ac disciplina est, medium se ita constituit, ut, si cui manum ei ex eo loco, qui adhuc fere inaccessus videtur, ad foedus pangendum porrigere contingat, volens lubensque ad eum propius sit accessurus,

u) Cognita sunt, quae scripsit: *Briefe an Mendelssohn über die Lehre des Spinoza,* — *David Hume, oder über Idealismus und Realismus,* — *Jacobi an Fichte,* — nec non quaecunque huc pertinent ex libris, *Woldemar,* et *Allwills Briefsammlung.*

ac pro humana causa cum illo, cum Kantio, cum bonis omnibus in philosophia elaboraturus. Datus est Kantius, qui viam multa opera pararet ad philosophiam protinus rectius instituendam; datus Iacobius, qui sanam rationem, quae periclitari nonnumquam uni duci commissa videretur, evocaret atque defenderet. En laeti iam acclamate, cives, et plaudite, namque in eo sumus, ut philosophiam humanitati, hominibus certam vitae magistram restituamus.

Haec hactenus. Reliquum est ut dicamus, [illegible] cum maxime aliquid scribendi opportunitatem nobis obtulerit. Placuit enim SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS clementiae, demandare nobis Philosophiae in hac literarum universitate publice extra ordinem docendae provinciam. Quam cum capessere statuerimus proximo die Saturni, qui erit d. XIX. mensis Septembris, recitanda post horam IX. oratione de *philosophia sapientiae ministra*; RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, ILLUSTRISSIMOS COMITES, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, *Generosissimos denique et Humanissimos Commilitones*, ut actum publicum et nos ipsos sua praesentia benevole ornare velint, summa, qua par est, observantia et humanitate rogamus. Scripsimus in Literarum Universitate Lipsiensi, die XII. Septemb. A. C. CIↃIↃCCCI.

---

re[illegible] illo [illegible] cum bono [illegible] in [illegible] gratiarum. [illegible] est [illegible] quendam nullis opera praeret ad philosophiam [illegible] instituendam; [illegible] qui sanam rationem, [illegible] periclitari noluimus [illegible] committere, [illegible] atque defendere. In [illegible] communitate, [illegible] ges, et plaudite, namque in [illegible] philosoph[illegible] hu- manitatis, hominibus certam vitae magistram restituentes.

Haec hactenus. Reliquum est ut dicamus, quibus cum [illegible] nobis [illegible]. Placuit enim [illegible] PRINCIPIS [illegible] clementiae, [illegible] nobis [illegible] in hac litterarum universitate publice extra ordinem docendo provinciam. Quam cum capessere statuerimus proximo die Saturni, qui erit d. XIX mensis Septembris, [illegible] IX. oratione de philosophia [illegible] RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, [illegible] COMITES, [illegible] REIPUBLICAE [illegible] issimos, [illegible] atque [illegible], ut actum publicum [illegible] ipsos [illegible] velint, summe, [illegible] observantia et humanitate rogamus. Scripsimus in [illegible] die XIII Septembr. [illegible]